This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



THE GIFT OF

Wm. C. Basel

IIG
260
.S25
M9

DE
L. APPULEIO SATURNINO
TRIBUNO PLEBIS.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES

AB ILLUSTRISSIMO UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ORDINE PHILOSOPHORUM RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FREDERICUS VONDER MÜHLL

BASILIENSIS.

BASILEÆ 1906.

EX OFFICINA M. WERNER-RIEHM.

Dissertatio probata est ab ordinis philosophorum sectione philologo-historica referentibus professoribus FREDERICO MUENZER et ADOLPHO BAUMGARTNER.

BASILEÆ a. d. V. Idus Maias a. MCMVI.

FREDERICUS MUENZER
H. T. DECANUS.

ANTONIO MARCOTTY

AMICO SACRVM

157088

De L. Appulei Saturnini tribuni plebis seditione, quamquam ea omnia, quæ rerum Romanarum studiosis neglegere non licet, satis, quantum fontes tam exiles permittunt, constant et a recentioribus historiæ Romanæ scriptoribus[1]) haud diverse referuntur, tamen ii, qui diligentius in annum 100 a. Chr. n. inquisiverunt[2]) testimoniaque congesserunt[3]), pauca quædam exsequenda magis quam corrigenda nobis reliquerunt.

Primum enim subtiliorem Cicero tractationem postulat, cuius ut nonnulli loci historiæ eripiendi inventionique reddendi sunt, ita universa sæpe sententia — dummodo certum semper dicendi consilium detrahatur — maiore pondere pensanda est.

Deinde Schwartzi[4]) aliorumque[5]) recentiorum disputationibus Plutarchi Appianique ratio scribendi melius innotuit, ut iam certius de eis iudicare liceat. Qui tantopere odio et amore, laude et vituperatione singulorum hominum contra historiæ veri-

---

[1]) Mommsen: Röm. Geschichte II[8] 198—208. — Niese: Abriß d. röm. Geschichte[3] 1906, pg. 161 sq. — Neumann: Geschichte Roms während des Verfalls der Republik, 1881 I.

[2]) Bardey: Das 6. Konsulat des Marius oder das Jahr 100 in der römischen Verfassungsgeschichte. Dissertation, Rostock 1884.

[3]) Klebs: Appuleius Saturninus. Pauly-Wiss. II, 261—269. — Ziegler: Fasti tribunorum plebis 133—70, Beilage zum Programm des Kgl. Gymnasiums zu Ulm 1903.

[4]) Schwartz, Appian: Pauly-Wiss. I. 216 ff.

[5]) Meyer: Untersuchungen zur Geschichte der Gracchen. Festschrift zur 200jährigen Jubelfeier der Universität Halle 1894. — cf. Schwartz, Gött. gel. Anz. 1896, 792 ff. — Kornemann: Zur Geschichte der Gracchenzeit. Clio: Beiträge zur alten Geschichte 1903. 1. Beiheft. — Busolt: Quellenkritische Beiträge zur Geschichte der römischen Revolutionszeit. Jahrbücher für Phil. u. Päd., Bd. 141, 1890, 341 ff. — Marcks: Die Überlieferung des Bundesgenossenkriegs 91—89 v. Chr. Dissertation, Straßburg 1884.

tatem peccant, ut in fide eorum æstimanda hæc lex in universum quidem valere debeat: sæpius ad ius publicum, cuius ædificium architectus nobilissimus Theodorus Mommsen e ruina denuo construxit, narrationes hominum iuris plane imperitorum sunt recidendæ, quam illorum gratia violatio iuris statuenda est. Nec non sic melius debitum tribuemus honorem genio populi Romani, cuius id proprium est, ut dum ipsam rem publicam liberam funditus everteret inque novam formam constitueret, leges eius tamen quam diutissime observaverit.

I. DE FONTIBUS.

1. De Cicerone.

a) De Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo habita.

Primum locum inter fontes, qui res anno 100 a. Ch. n. gestas narrant, Cicero tenet, qui in oratione pro C. Rabirio perduellionis reo anno 63 a. Chr. n. habita, cum ipsa causa seditionis Appuleianæ descriptionem postularet, antiquissimum earum rerum testimonium nobis dedit. Atque ex ipsius Ciceronis verbis et e Dione Cassio (XXXVII, 26, 1) compertum habemus C. Rabirium, quod L. Appuleium Saturninum trib. pl. occidisset, a T. Labieno reum factum primum a Q. Hortensio Hortalo, qui in Scævam Q. Crotonis servum crimen ut transferret, studebat (cf. pro Rab. § 18. 31), deinde a Cicerone ipsa illa oratione, quam mutilam tenemus, defensum esse.

Post absolutam igitur a Q. Hortensio defensionem Rabirique innocentiam probatam, iterum ad Saturnini necem Ciceronem redire, nisi ipse hac de re verba fecisset, valde miraremur. Quamquam enim, ut sæpissime fecit (affero ex. gr. Murenæ causam § 48), etiam in nostra causa ultimo loco dicit, tamen non solum perorare, sed Labieni quoddam argumentum refutare videtur. Atque agitur, secundum ipsius verba, de *„firmissimo rei publicæ præsidio“*, immo de ipsa re publica; quod quid sit, primo obtutu aperte significari videtur. Acerrime enim inde a § 20 usque ad finem orationis Cicero id studet, ut iure Rabirium imperantibus consulibus arma sumpsisse probet; adversarius igitur, quod permulti loci confirmant, id

negaverat.[1]) Jus scilicet senatus imperium consulibus in urbe concedendi et ius consulum populum ad arma vocandi addubitaverat: Rabirius enim si non recte obtemperavit, ne consules quidem recte imperaverunt. Quæ explicatio Dionis, a Mommseno (Römisches Staatsrecht I[3] 690) accepta, optime cum Ciceronis verbis (§ 1—5) congruit.

Attamen nonnulla monenda sunt: quis ius antiquitate firmatum temere a Labieno in dubium vocatum esse non miretur? Nonne ipse accusationis vim magnopere debilitabat, cum una, quod recte Cicero urget (§ 26), tot, immo plurimos illius ætatis viros reos faceret? Cur cædis crimine ceterisque delictis (§ 6—8) non contentus illud „et omnino non iure arma sumpsit“ addidit, quod a Cicerone facillime refutatum iri sciebat?

Pugnat etiam contra Mommseni opinionem Ciceronis in § 18. 19 deductio, cuius summa hæc est: „non occisum esse a Rabirio Saturninum Hortensio concedere debes: quamquam ego, si mihi denuo Rabirius defendendus esset, id ipsum confiteri non dubitarem: quippe recte et iuste facit, qui populi Romani hostem occidit. Atque si accurate rem consideramus, cædem perpetravit, quamvis Saturninum non occiderit; quandoquidem idem est occidere atque occidendi causa arma capere. Aut igitur iure Rabirium Saturnino mortem paraturum fuisse, si paravisset, tibi concedendum est, aut iure eum arma sumpsisse tibi denegandum est: quod vero, — ita lacuna, ut e § 20 sq. apparet, supplenda, — tibi ipsi absurdum videbitur.“ Itane Cicero loqui posset, si iam in accusatione Labienus iure Rabirium arma sumpsisse negasset? Neque enim refutatio sed mera repetitio esset argumentorum a Labieno prolatorum, qui

---

[1]) § 23: *idcircone oportuit C. Rabirium desciscere a re publica, non comparere in illa armata multitudine bonorum* e.q.s. § 24: *hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum iis fuerit C. Rabirius, quos* e.q.s. § 26: *Nam, si C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit* e.q.s. § 28: *Etenim, si C. Rabirio, quod iit ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit* e.q.s. § 31: *neminem esse dico .... quin arma ceperit, quin consules secutus sit. Omnes .... abs te rei capitis C. Rabiri nomine citantur.*

ut etiam sublato cædis crimine Rabirius reus teneretur, ius arma sumendi in universum addubitare potuerat.

At fortasse Labienus contendit non omnino, sed illo ipso anno propter certas rationes non iure arma sumpta esse. Maxime placet eum affirmasse populum senatus consulto non legitime scito armatum esse: sed e Cicerone certe eum ita locutum esse probari nequit.

Probabilior autem, quamquam nec illa certa, alia explicatio est: in § 28 Cicero rem tangit a Labieno, „*sæpissime*“ commemoratam, fidem scilicet Saturnino datam, postea violatam. Quis secundum Labienum eam dederit, e § 28 non perspicitur; nam Ciceronis verba æquo iure significant aut: „vos Rabirium fidem dedisse et postea violasse dicitis; sed Marius eam dedit; is igitur, si violata est, eam violavit“ aut: „vos Rabirium fidem violasse contenditis; at vos ipsi Marium neque Rabirium eam dedisse nostis; illius igitur culpa, si violata est.“ Quod posteriore loco posuimus, cum per se maiorem veritatis habeat speciem, iis quæ sequuntur, comprobatur. Excusatio enim „*quid iam ista C. Mario nocere possunt, quoniam sensu et vita caret?*“ (§ 29) docet a Labieno Marium fidei auctorem habitum esse, quoniam e mente Ciceronis Labienus ea utitur, ut crimen ignominiæ Mario iniunctæ diluat. Cum autem in Marium „*sæpissime*“ invehendi nulla Labieno subesset ratio, eum cum Rabiri crimine, ut odium augeretur, fidem violatam quodammodo connexuisse patet (cf. auct. ad Her. IV, 31: quo testimonio popularium ætatis Sullanæ virorum iudicium illustratur). Enimvero Rabirium post datam fidem arma aut non posuisse aut iterum sumpsisse arguens, sat gravem illi culpam tribuebat, quæque etiam sublato cædis crimine quodammodo staret, neque tamen, quod ex Dionis interpretatione efficitur, omnes bonos viros in ius vocabat. Cicero autem, cum ita factum esse negare non possit, callide in universum Labienum locutum esse fingit atque, ut a violata fide audientium animos avertat, in illa facillima refutatione iuris consularis in dubium vocati longus est. Nec non præcepta hac argumen-

tatione, qua Labienum legis, ut putat, sanctissimæ detrectatorem reddit, statim in exordio omnes rei publicæ constitutæ amicos contra eum ad auxilium vocat.[1])

Haud minore artificio de crimine violatæ fidei, quod ipsi Mario Labienum obiecisse unus e prioribus Rabiri defensoribus insinuatione perfecit, (Labieni enim excusationem *„quid iam ista“* e. q. s. Cicero in § 29 refutat) nunc consulem purgare conatur, ut una cum Mario Rabirium, a quo argumentatio profecta est, excuset. Quoniam autem meliores rationes ei desunt, vetera Mari in rem publicam merita affert; cumque aperte Marium senatus consulto nixum fidem dedisse ideoque senatum violatæ fidei auctorem exsistere, si posset, diceret, immerito Labienum, quod nesciat sine senatus consulto fidem publicam non dari, increpat. Ita eo, quod legitime fieri debebat, tamquam factum

---

[1]) Dionis vero, quem supra attuli, locum ita explico, ut e Cicerone pendere eum dicam: tota enimvero Dionis de coniuratione Catilinaria narratio, (XXXVII 29—41) quod sagacissime Schwartzius demonstravit (in Herma 1897, p. 583—591 Pauly-Wiss. III 1699) e Livio deprompta est, qui ipse Ciceronem adhibuit. Quamvis enim relatio causæ Rabirianæ (c. 26—28,4) processum ceteræ narrationis aperte divellat ideoque fortasse diversum indicare possit fontem, tamen non solum Cassiana Livi annalium ordinem turbandi consuetudo, sed etiam locorum præcedentium cum Livio similitudo (c. 22. 23 Pompeius summis effertur laudibus; c. 25, 1. 2 = Obseq. 61; c. 25, 3 contra Livium non pugnat cf. Schwartz l. l. p. 585 Pauly-Wiss. III 1697—1705) hunc fontem arguere videntur. Optime vero ipsa, quæ tractamus, verba et Livium et in illo Ciceronem admittunt: quippe quod de vexillo Cassius tradit: *Καὶ ἔτι καὶ νῦν ὁσίας ἕνεκα ποιεῖται* (de re cf. Mommsenus Staatsrecht III, p. 387 A. 4) ad Augusti quam ad Alexandri Severi ætatem revocare maluerim, (cf. tamen, Mommsen St.-R. II[3], p. 839) Ciceronisque vestigia premimus in loco: *ἡ οὖν γερουσία δεινὸν μὲν καὶ ἄλλως ἐνόμιζεν εἶναι, ἄνδρα βουλευτὴν μήτ' ἀδικοῦντά τι καὶ εἰς γῆρας ἤδη προεληλυτότα ἀπολεῖσθαι, πολλῷ δὲ δὴ μᾶλλον ἠγανάκτει ὅτι τό τε πρόσχημα τῆς πολιτείας διεβάλλετο καὶ τὰ πράγματα τοῖς φαυλοτάτοις ἐνετρέπετο*' quocum verba pro Rab. 2: *„sed ut illud summum auxilium maiestatis atque imperii, ..., de re publica tolleretur, ut nihil hosthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem ac perniciem civitatis valeret, idcirco unius hominis senectus, infirmitas solitudoque temptata est“* consentiunt. Quod autem, quamvis Ciceronem adhibeat, eius iudicium auctor non sequitur (fraude enim Rabirium servatum esse censet), minime originem Livianam, qui auctor Ciceroni non semper favebat, in suspicionem adducit. (cf. Schwartz l. l.)

sit, insidiose prolato veritatem obscurat: scilicet tum temporis nullo iure Marium ipsum fidem dedisse et recte in eum violatæ fidei odium converti. Nos autem, cum Cicero quamvis Marium summo studio excusare conetur, S C. de fide danda factum esse disertis verbis affirmare non audeat, nullum factum esse pro certo habemus (cf. § 28. 29).

Incipit Ciceronianæ narrationis pars servata a S. C., quo consulibus res publica committebatur (§ 20), prærupto exordio, quod causas eius, Memmi cædem et Capitoli occupationem, continuisse videtur.[1]) Atque quærendum, utrum re vera[2]) S. C. *„ut C. Marius L. Valerius consules adhiberent tribunos pl. et prætores, quos eis videretur, operamque darent, ut imperium populi Romani maiestasque conservaretur“* Cicero servaverit necne; non dubium enim est, quin cognitum habere potuerit.

Et recte quidem, cum in referendo S. C. anni 121 Opimium sine collega semper afferret (in Cat. I, 4, pro Plaucio 88, Phil. VIII, 14), nostro loco ambo consules memoravit (cf. Dio Cass. XXXVII, 27; auct. de vir. ill. 73, 10; Ascon. pg. 5 K.). At fidem nostram non auget, quod S. C. anno 121 in Gracchum factum Ciceronem diversis locis diversa forma videmus referentem; Phil. VIII, 14 genuina verba servata sunt testante Plut. v. C. Gracch. 14 (προσέταξαν Ὀπιμίῳ τῷ ὑπάτῳ σώζειν τὴν πόλιν καὶ καταλύειν τοὺς τυράννους[3]) Cat. I, 4 vero fictum est ad

---

[1]) Memmi caedes uno tantummodo loco (in Cat. IV, 4) a Cicerone affertur. — Secundum Ciceronem quidem ante pugnam in foro commissam, immo ante S. C. ultimum factum, Saturninum cum armatis Capitolium occupavisse statuo: in § 20 Saturninus armatus Capitolium tenere dicitur, priusquam viri boni convenerunt; § 22 Saturninus in Capitolio, optimates in foro versantes ante pugnam commissam describuntur; § 35 inter Saturnini crimina, quibus commotus Marius ad senatum rettulit *„quod Capitoli[um cum armatis occupa]visset“*, recensetur. Verba *„an in Capitolium pergere atque ibi se cum tuo patruo et ceteris ad mortem propter vitæ turpitudinem confugientibus congregare“* (§ 21) quod ad temporis momentum attinet, urgere noluerim.

[2]) ita Mommsenus St.-R. I³ 694, 1; III 1244, 2, censere videtur.

[3]) Verba *καὶ καταλύειν κτλ* falso ab auctore vel antiquo addita sunt cf. Mommsen St.-R. III 1245, 2.

exemplum S. C. in Catilinarios facti, cuius hanc formulam fuisse constat: *„videant consules, ne quid detrimenti res publica capiat“*.[1]) Quam formulam cum a scriptoribus ætatis posterioris omnino pro omnibus eiusmodi S. C.[2]) adhibitam esse videamus, noster locus, qui diversam exhibet, veritatis speciem præ se fert. Sed in enumeratione magistratuum, quæ, quamquam non necessaria est[3]), tamen nonnumquam invenitur[4]), omissis pro consulibus tribunisque ante prætores collocatis Cicero ordinem legitimum[5]) turbat: inde concludendum est, non S. C. traditum ab eo servatum esse sed seriem, quem tenemus, inde deducendum esse, quod tribuni Saturnini et prætoris Glauciæ nomina hoc ordine semper inveniebantur: ex rerum gestarum igitur scientia Cicero magistratus ordinavit, quod eo facilius erat, quod omnes eiusmodi S. C. similiter conscribebantur (Mommsen St.-R. I³ 694, 6). Quod vero nonnusquam ei magistratus, qui a seditiosorum partibus stabant, iam S. C. ab imperio excludebantur (Mommsen St.-R. I³ 694, 1, III 1244), id tum non factum esse locus in Cat. III, 15 *„C. Glauciam, de quo nihil nominatim decretum erat, prætorem Marius occidit“* ostendit, quem quomodo accuratius explicemus, diversæ viæ patent:

1. Aut in S. C. pro nominibus tituli magistratuum afferebantur, ita ut *in tribunum pl. et prætorem* Mario potestas data sit. A qua opinione minus elogii verba (C. I. L. I², p. 195) ab-

---

[1]) Concluditur ex ipso illo loco in Cat. I, 4 cf. Sall. Cat. 29,2 paullo aliter Plut. Cic. 15; Ascon p. 5 Kiessl.

[2]) cf. Cic. pro Mil. 70, Phil. V, 34, Cæs. b. civ. I, 7. 5, Sall. Cat. 29, 2, Liv. VI, 19, 3, Tac. ann. IV, 19. Vix recte vindicatur ex. gr. annis 83 (Exup. 7) et 77 (Sall. orat. Phil. 22), fortasse recte annis 52 (Ascon arg. Mil. p. 29 K., Ascon in Mil. p. 46 K.) et 49 (Cæs. b. c. I,5 = Cic. ad fam. XVI 11, 2, Liv. per. 109). In nostrum annum formulam transfert auct. de vir. ill. 73.

[3]) Dissentiente Mommseno (St.-R. III, 1245, 1).

[4]) a. 52: Dio XXXX, 49, 5. Ascon. argum. Mil. p. 29 K. in Milon p. 46 K. Cic. Mil. 70 Cæs. b. g. VII, 1; a. 49 cf. locos supra laudatos.

[5]) Optimo iure tribuni nominantur: Mommsen St.-R. I³ 694, 4, III 1244, II³ 315, sed post magistratus imperio fungentes collocari solent; cf. locos supra laudatos et præterea legem Bantinam C. I. L. I¹ 197 p. 45 l. 14; C. I. L. I¹ 198 p. 58 § II. VIII; C. I. L. I¹ 206 p. 120 l. 10. 11. Ditt. Syll. N. 204 = Viereck sermo Græcus p. 2.

horrent quam sententia et vis enuntiati Ciceronis, qui non Marium S. C. paruisse, quod fecisset, si Glauciam pro illo „prætore“ elegisset, sed rem sua sponte non legitime gessisse demonstrare vult.

2. Aut omisso Glauciæ nomine, Saturninus solus, in quem consules animadverterent, nominatim in S. C. allatus est.

3. Maiorem tamen probabilitatem tertia præ se fert coniectura, suppressis et nominibus et magistratuum titulis generali quodam modo Mario in Saturninum Glauciamque imperium concessum esse (cf. Mommsen St.-R. III, 1245), ad quos designandos optima occurrit vox „*seditiosi*“ (Elog. Mari C. I. L. I², p. 195, et auct. de vir. ill. 67, 3: „*seditiosos ex S. C. interemit*“ [1]) fortasse ex ipso S. C. repetita. Et re vera Marium inter seditiosos in universum dictos prætorem magistratu fungentem numerare invidiosum erat, ut optimo iure anno 63 sui purgandi causa Marium, qui multo magis quam ipse leges violaverat — Lentulus enim prætura se abdicaverat (Cic. Cat. III, 15; IV, 3; cf. Sall. Cat. 50, 3; Mommsen St.-R. III 1067, 4) — Cicero afferret.

Ceteri fontes varia de S. C. tradentes nihil certi præbent: auct. de vir. ill. 73, 10 (cf. Ascon. Pis. 6 K) formulam anni 63, quam suspectam esse vidimus, apponit; Appiani verba vero (bell. civ. I, 32, § 144) καὶ αὐτοὺς τῆς βουλῆς ἀναιρεθῆναι ψηφισαμένης cum eo falsa sunt, quia hoc S. C. facto Marius fidem dare non potuit, tum loco Ciceronis de Glaucia nec non tota defensione reprobantur; ab Appiani fonte eo consilio ficta sunt, ut supposita S. C. simili eius, quo nixus postea Cicero in Catilinarios animadvertit, Marius excusaretur (cf. infra 3 b). S. C. igitur verba neque e Cicerone neque ex aliis fontibus colligere licet; de argumento eius statuendum est, consulibus in „seditiosos cives“ potestatem concessam esse, ita tamen, ut ex eis, qui tum magistratibus fungebantur, nemo nominatim imperio excluderetur.

Post S. C. factum, secundum Ciceronis narrationem, *consules omnes tribunos pl. et prætores præter Saturninum et Glauciam*

---

[1]) locos, quibus prætereæ reperitur (vir. ill. 73, 10, Ampel. 26, 3, Val. Max. III, 2, 18; VI, 3, 1) adhibere non licet.

adhibent: sed non omnes magistratus exclusi[1]) a Cicerone afferuntur, cum Sauffeium quæstorem inter seditiosos fuisse sciamus (Cic. pro Rab. 20, Oros V, 17, 8, Appian I, 32, § 143. 144) Postquam deinde rettulit, vocatum esse ad arma populum (ut mos erat, Mommsen St.-R. III 1247), dictum illud Scipionis Nasicæ *„qui rem publicam salvam esse vellent etc.“* (cf. § 34) ex anno 133[2]) in annum 100 transfert. Prima verba, quæ non ad quamlibet seditionem revocare potes, illa de *aede Sancus* (e conjectura Mommseni) sunt; sed tamquam nimiæ diligentiæ eum pœniteat, locutione *„cetera omittam“* ad rhetoricam artem meram reversus contentionem instituit inter Saturninum sociosque eius et eos cives, qui a re publica steterant.

Quorum nomina, cum ad pernoscendam orationis fidem historicam nonnihil iuvare possint[3]), ita ut ipse eos ordinavit, diligenter inspicienda sunt, virorum, quos dicit consulares, consulatibus adscriptis.[4])

L. Metellus: cos. 117 a. Chr. n.; anno 98 inter vivos erat (cf. Pauly-Wissowa III, 1213).

Ser. Galba cos. 108; de morte eius nihil constat.

C. Serranus cos 106; secundum App. b. c. I, 72, anno 87 mortuus est (cf. Pauly-Wiss. II, 2098).

P. Rutilius cos. 105; Sullæ temporibus exsul in Asia vivebat.

C. Fimbria cos. 104; anno 85 ab exercitu suo interfectus est.

Q. Catulus cos. 102; a Mario mori iussus a. 87.

Quos quoniam omnes a. 100 inter vivos fuisse demonstravimus, tum Romæ adesse poterant; attamen vides, annorum, quibus consulatus gesti sunt, ordinem tam accurate servari, ut

---

[1]) exclusio edicto consulari fieri solebat: Mommsen St.-R. I[3] 694, 1; III 1244, 2.

[2]) Non dubium, quin verum habendum sit: cf. Cic. Tusc. IV, 51, Vell II, 3, 1, Plut. Ti. Gr. 19, App. b. c. I, 16, Val. Max. III, 2, 17. Kornemann, Zur Geschichte der Gracchenzeit (Beiträge zur alten Geschichte 1903 (1. Beiheft) pag. 4.

[3]) cf. Preiswerk: De inventione orationum Ciceronianarum. Diss. Basel 1905, pg. 44 sq., 51 qui diversam in componendis nominibus Ciceronis rationem illustrat.

[4]) Consulatuum anni e fastis consularibus (C. I. L. I[2]) deprompti sunt.

suspicio oriatur, e consulum fastis nomina illa a Cicerone collecta esse. Quæ suspicio eo firmatur, quod inde ab anno 112 usque ad annum 101 alia consularium nomina præsto non erant, omnibus aut mortuis aut alia de causa prætermittendis: sunt enim consules

a. *101.* C. Marius V.

M' Aquillius anno 100 in Sicilia bellum servile gerebat; Obs. 45. Pauly-Wiss. II 325.

102. C. Marius IV. Q. Lutatius Catulus.

103. C. Marius III.

L. Aurelius Orestes in consulatu mortuus est (Plut. Mar. 14).

104. C. Marius II. C. Flavius Fimbria.

105. P. Rutilius Rufus.

Cn. Mallius anno 103 in exilium actus est. cf. infra III, 2.

106. C. Atilius Serranus.

Q. Servilius Cæpio ante Saturnini interitum in exilium migravit (cf. infra III, 2).

107. C. Marius I.

L. Cassius Longinus hoc ipso anno occisus est (cf. Pauly-Wiss. III. 1738).

108. Ser. Sulpicius Galba.

Hortensius damnatus est; cf. C. I. L. I ² p. 35/36.

Suff. M. Aurelius Scaurus anno 105 bello Cimbrico cecidit (Liv. per. 67. Vell. II, 12, 2. Tac. Germ. 37. Oros V, 16, 2. Gran. Lic. p. 11 Fl.).

109. Q. Metellus Numidicus a. 100 in exilium actus est.

D. Junius Silanus; quamquam a. 105 causa absolutus (Asc. in Corn. p. 60. 71 K) tamen, si anno 100 inter vivos erat, propter odium cladis Cimbricæ melius non afferebatur.

110. Sp. Postumius Albinus damnatus est: Sall. Iug. 44, Cic. Brut. 128.

M. Minucius Rufus; alius, ut videtur, quam quem App. Mithrad. 17 affert. Post triumphum de Scordiscis

(acta triumph. ad ann. 648/106 Vell. Pat. II, 8,3) nihil de eo notum est.

a. *111.* L. Calpurnius Bestia, ut constat, damnatus est.

L. Cornelius Scipio Nasica in consulatu mortuus est (cf. Pauly-Wiss. IV, 1504).

112. C. Calpurnius Piso Cæsoninus a. 107 mortuus est (cf. Pauly-Wiss. III, 1387).

M. Livius Drusus haud is est, quem Cicero paulo infra affert, quia ille non inter consulares numeratur. Si re vera, quod auctor ad Herenn. IV, 31 testatur, post filium, tr. pl., pater Drusus mortuus est, hic primus consularium eorum, qui a. 100 inter vivos erant, a Cicerone omittitur. Longius igitur fastos perscrutari supervacanaum erit, quoniam ipse Cicero hic substitisse videtur.

Sed omnes consules annorum certe 112 usque ad 101, qui a 100 inter vivos erant, Cicero ordine iusto exhibet, præposito L. Metello, quia in reducendo Numidico (cf. post red. ad sen 37; ad Quir. 6) partes notissimas egerat.

Eadem componendi ratio in iis enumerandis detegitur, quos prætores aut iuniores arma contra Saturninum cepisse Cicero contendit:

Cn. Domitius cos. 96 ante annum 89 mortuus est (cf. Pauly-Wiss. V, 1327).

L. Domitius cos. 94 anno 82 a Mario et Damasippo interfectus est (cf. testimonia Pauly-Wiss. V, 1334).

L. Crassus cos. 95 mortuus est a. 91 (de orat. III, 1 seq.).

Q. Mucius cos. 95 anno 82 a Mario et Damasippo interfectus est.

C. Claudius cos. 92 paullo post mortuus est (Pauly-Wiss. III, 2856).

M. Drusus tribunus pl. a. 92/91.

L. Philippus cos 91; anno 86 senex dicitur (Cic. Brut. 230); a. 78 „ætate et consilio ceteros anteibat“ (Sall. Hist. I frg. 75 Maur.) sine dubio ante a. 63 mortuus est.

L. Scipio cos. 83 paullo post obiit (cf. Pauly-Wiss. IV, 1485).

M. Lepidus cos. 78 a. 77 mortuus est.

D. Brutus cos. 77 anno 63 inter vivos fuisse videtur (Sall. Cat. 40).
P. Servilius cos. 79.
Q. Catulus cos. 78.
C. Curio cos. 76.

Habes hic quoque iustum ordinem consulatuum paucis tantummodo locis turbatum; quorum ratio tamen facile explicari potest. L. Domitium, qui Q. Mucium sequi debebat, cum Cn. Domitio Cicero collocavit. Post M. Drusum tr. pl. suo loco consularibus insertum ad vim sententiæ amplificandam series interpositis nominibus gentilibus interrupta est. Omnes familias exceptis Catonibus, quos affert ut de re publica bene meritos fortasse etiam Uticensis causa, qui Ciceronem consulem a 63 strenue adiuvit (Sall. Cat. c. 52. 53 pro Mur. 51 pro Sestio 12. 61), inter annos 99 et 73 consulatum gessisse fasti testantur: Octavii a. 87, 76, 75, Metelli a. 98, 80, Julii a. 91, 90, Cassii a. 96, 73, Pompei a. 89, 88. Ultimi tres, quos præsentes Cicero appellat, ab aliis secreti ipsi quoque servato consulatuum ordine laudantur.

Cum igitur in ordinandis nominibus Ciceronem fastos consulares adhibere luce clarius sit cumque iis quos dicit *„prætores et nobiles iuvenes“*, præclariores tantum posterioris ætatis viros inserat, nemo dubitabit, quin certo consilio ipse seriem composuerit. Atque quamquam in *„consularium“* enumeratione, quantum nobis iudicare licet, errores vitavit (de prætoribus iunioribusque testimonia desunt) tamen etiam in his, æque secundum fastos recensis, fides ei deneganda est, non ita quidem, ut omnes falso allatos esse dicamus, sed ut de uno quoque, adfuerit necne, in ambiguo relinquamus. Ciceronem enim apud annalium scriptores nomina virorum, qui illo die arma ceperant, collecta inspectis fastis ordinavisse haud est probabile.

Accedit quod alio loco (Phil. VIII, 15), ubi propter temporum magnitudinem non tam minutis rebus animum intendit, sed e sua vel communi memoria, quæ profert, petere videtur, de eodem anno verba faciens perpaucos tantummodo viros bonos enumerat, quamvis multum eius intersit, quam plurima clarorum virorum

nomina afferre: atque ex his ipsis duo in oratione pro Rabirio, tertius apud Orosium segregatim proponuntur et cum aliquo facto connectuntur.[1]) Inde sequitur, de his quidem apud scriptores aliquid narratum esse, ceteros vero nusquam nominatim exstitisse.

Sed diligentius, quid de M. Aemilio Scauro et Q. Mucio Scævola Cicero tradat, inspiciendum est. § 20 Consules et cunctum senatum et equestrem ordinem in foro versantes, Saturninum Capitolium tenentem demonstrat; § 21 M. Aemilium in comitio constitisse dicit. § 20 omnes armatos adesse, § 21 eos ad arma vocari, cunctam nobilitatem ac iuventutem accurrere narrat. Redit igitur Cicero ab initio pugnæ ad armatorum convocationem, neque vocem *„in comitio“* pro *„in foro“* positam esse credendum, sed statuendum est, M. Aemilium cum senatu in comitium convenisse. Quocum congruit locus Valeri Maximi (III, 2, 18) quem e Cicerone fluxisse sed rhetorum more exornatum esse Klebsius (Pauly-Wiss. I, 585) putat:

Val.: *ultima senectute*[2]) *confectum*	Cic.: *confectus senectute, perditus*
et pœne dilapsum corpus	*morbo* .....
spiculo innixus	*hastili nixus* .....
ante fores curiæ constitit.	*ostenderet.*

Valerio Ciceronem notum fuisse negari nequit, præsertim cum quæ de Scævola Cicero proferat, Scauro tribuantur, sed præter Ciceronem alium fontem eum adhibuisse puto. Nam Equiti designati tribuni pl. nomen in oratione pro Rabirio, qualem nos tenemus, non exstat, neque in integra inveniebatur,

---

[1]) De Scauro et Scævola copiosius Cicero pro Rab. 21 narrat. Claudius, sine dubio ille C. Claudius qui pro Rab. 21 laudatur, cum eo fortasse coniungendus est, cuius e domo secundum Orosium V, 17, 9 Glaucia protractus est. Nomen etiam in brevi Orosi narratione servatum, plura de eo relata esse, indicat, maximeque placet ab eo ipso Glauciam occisum esse. Dubium est, utrum Metellum Cicero intellegat; plures significari numerus pluralis *„Scauri, Claudi, Crassi“* de singulis viris adhibitus fortasse vetat existimare: (sed etiam de duobus Scævolis cogitaveris) occurrit vero L. Metellus pro Rab. 21 primo loco positus.

[2]) annum agebat Scaurus sexagesimum tertium: Ascon in Scaur p. 20 K.

cum in § 20 ubi memorandi eius occasio erat, sileatur atque etiam in Sestiana (§ 101) „*Gracchus*“ appelletur. Desideratur apud Ciceronem etiam illud „*M. Aemilius Scaurus C. Marium consulatum sextum gerentem hortatus est e. q. s. .... protinusque arma sibi afferri iussit*“, quod e solo Cicerone, vel exemplo III, 2, 17 adhibito, non finxit Valerius Maximus, cum præterea etiam apud. auct. de vir. ill. 72, 9 occurreret. Narratio quacum illo loco connectitur, a viris doctis (cf. Klebs Pauly-Wiss. I, 585) spuria habetur, quoniam in optimis fontibus de Scauri adhortatione taceatur nec omnino Opimium consulem incitari necesse fuerit; mihi vero locum Ciceronis pro Sestio 101 „*M. Aemilius Scaurus qui a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit*“ consideranti non plane contemnenda videtur (cf. etiam pro Mur. 36: „*Scaurum fortissimum senatorem*“). Opimi hortatio, ad exemplum posterioris sine dubio ficta, ita explicanda est: cum Scipione Nasica, qui privatus[1]) Scævolam in Gracchum instigaverat, Scaurum privatum hortantem Marium comparari solitum esse sicut etiam Valerius habet; unde neglegentia factum esse, ut ab eodem Scauro ætate eius plane neglecta Opimium consulem in Gracchum incitatum esse iam Ciceronis temporibus[2]) crederetur. Nostrum vero locum hæc narratio, licet falsa sit, in suspicionem adducere non debet. Duæ igitur de Scauro res traduntur, altera a Cicerone, infirmum eum ad pugnam contra Saturninum in comitium venisse, altera a fonte ignoto Valeri[3]) et, detractis

---

[1]) cf. Ciceronem, qui consulto semper Nasicam privatum dicit: Cat. I, 3 de domo 91 pro Planc. 88, Brut. 107. 212 Tusc. IV, 51 de off. I, 76; quod magis magisque a scriptoribus cum gravitate profertur (Kornemann, Gesch. d. Gracch. p. 3 seq.).

[2]) Vita Scauri (vir. ill. 72), quamquam ex ipsius Scauri „de vita“ libro vix fluxit (quod Klebs, Pauly-Wiss. I, 587 contendit) — nulla enim argumenta habemus, — tamen fide non indigna est. Gracchanam seditionem consulto commemoratam nec a vitarum epitomatore (cf. infra pg. 32) e depravata comparatione cum Scipione Nasica inductam esse eo arguitur, quod alias post filii fugam, quæ a. 102/1 tribuenda est (cf. Val. Max. V, 8, 4, Front. IV, 1, 13), cum narratione de Saturnini tumultu coniunctam eam legeremus.

[3]) Duos fontes Valerius etiam III, 2, 17 contaminavit, ut Cic. Tusc. IV, 51 testatur; cf. præterea VIII, 1 damn. 2. 3. infra III, 6.

erroribus, ab auctore de vir. ill., eum privatum consulem Marium, ut ad arma populum vocaret, hortatum esse. Scaurus igitur princeps senatus (pro Rab. 21, Sall. Iug. 25, 4, Pauly-Wiss. I, 585) in senatu, qui de S. C. ultimo decernendo habebatur, consules, quibus invitis decerni non poterat, ne impedimento essent, admonuit; quod propius ad veritatem accedere videtur quam quod Valerius præbet, post S. C. factum eum Marium inflammasse.[1]) Ciceronis flosculorum rhetoricorum cum altero fonte suo coniungendorum studio Valerius a Scævola in Scaurum Ciceronis verba transtulit, locutionem *„in comitio“* in *„ante fores curiæ“* mutans et arma non ad pugnam sed ad cohortationem poeta tragico dignam allata esse narrans veritatem obscuravit. Quod ad Ciceronem attinet, quamvis remoto Valerio nullo testimonio firmetur, de Scævola Scauroque infirmis atque senibus contra Saturninum pugnantibus perbene veram traditionem servare potest. Atque Scaurum quidem rhetorum more, Scævolam, quocum ipse familiariter versatus est, (de leg. I, 13, Brut. 306, Lælius 1) talem describit, qualis annis 91—89 fuerat: Phil. VIII, 31: *ego Q. Scævolam augurem memoria teneo bello Marsico, cum esset summa senectute et perdita valetudine* e. q. s. . . . . *senexque debilis primus veniebat in curiam.*

In ea, quæ sequitur, narrationis parte veritatem vix deprehendimus, cum uno tenore omnes equites Romani, (20. 22. 27) tribuni ærari, totus ager Picenus a senatus partibus stetisse dicantur. De Equitio (cf. Sest. 101) contemptim Cicero loquitur servum eum appellans (*„e compedibus et ergastulo“* eum venisse, per ἓν διὰ δυοῖν servum familiæ rusticæ significat) obloquentibus ceteris testibus (cf. infra III, 1). Per silentium autem Valeri Flacci consulis indolem patefacit, cum una *„diligentiæ“* virtute eum ornans debilitatis crimen (cf. Rutilium Rufum Plut. Mar. XXVIII, p. 360, 18) male tegat. Nisi quod Antonius *cum præsidio*

---

[1]) Argumentum contrarium e Ciceronis silentio petere non licet, quoniam etiam si idem apud eum inveniebatur, in lacuna ante § 20 excidit; quamquam fortasse non iniuria aliquis dixerit in § 21 M. Aemilium ita induci, ut vix iam antea nominatus sit.

extra urbem fuisse dicitur, usque ad § 31 omnia æque incerta sunt et quo loco accuratiora exspectamus, textus abrumpitur.

Inter causas S. C., quæ in § 35 recensentur Memmi necem sub „*cædibus civium*“ invenimus adiuncto facto quodam ignoto, ad quod illud „*carcerem refregit*“ alludit: nam de Equiti abductione a. 101 facta (Val. Max. IX, 7, 1) non solum propter Saturnini nomen, quod a Valerio certe non ea implicatur, (cf. infra III, 1) sed maxime propter tempus cogitare non licet, quoniam nostro loco ea tantum, quæ S. C. proxime antecesserunt, memorantur (cf. infra II). Etiam consulis relationem, quæ in S. C. fortasse repeti solebat, (cf. Phil. VIII, 14) vix ad verbum Cicero expressit, qui alio loco, ut supra vidimus, pro vero S. C. fictum e rerum gestarum scientia attulit. Sed et hæc et cetera quæ exhibet, accuratiora, (ædem Sancus Antonique præsidium intelligo) quoniam non communi rerum gestarum memoriæ ea ascribere licet, fortasse ex Hortensi defensione memoria tenebat. Ceteroquin seditionem anni 100, non ut accidit, sed ut accidisse eam animo sibi effinxit, describit arti rhetoricæ nec enarrandis rebus gestis studens; qua de re quamvis in universum nemo dubitet, (pro ceteris iudicium, quod vir doctissimus F. Leo: Kultur der Gegenwart: Die griech. und lat. Literatur und Sprache, pg. 334 nuper protulit, mihi præsto est) cum in tractandis anni 100 rebus nimium viri docti[1]) Ciceronis Rabiriana usi essent, in discerpenda Tulli fide longus fui.

b) Quid de Metello Cicero iudicet.

Aliam atque Rabiri causa, Sesti defensio ad commemorandam Saturnini seditionem Ciceroni ansam præbebat: in patriam redux ex exilio, quod pro re publica libera susceperat, cum Q. Metello Numidico, quem pariter consul inimicus et tribunus seditiosus in exilium egerant, sese comparabat. Atque eo magis orationes, quas post reditum habuit, illius viri casus attingunt, quod e consulibus anni 57 alter familiæ Cæciliæ Metellorum

---

[1]) Bardey passim in libello laudato; Mommsenus St.-R. III, 1244.

erat (cf. post red. ad sen. 25. 37 Quir. 6. 9. 11 de domo 87). Quam comparationem ipsi adversarii, qui etiam Reguli exemplum ei ante oculos ponebant, (pro Sestio 127) arripientes contra eum vertere conabantur, quod pericula minora quam ea quibus Metellus cessisset, multo minore dignitate vitasset. Quapropter sicut alias de anni 58 gestis criminationes purgare, ita etiam quod ad Metellum attinet, defensionem habere cogitur, quod e § 36 sq. apparet. Quia autem in iis præcipue, quæ comparationem provocaverant, infirmiore quam Metellum animo sese fuisse negare non poterat, præsertim cum et propter Metelli Nepotis amicitiam et quod detrectando Metello se ipsum cum illo comparatum deteriorem demonstravisset, Metelli dignitatem magnanimitatemque artificiis oratoriis minuere non liceret, adversariorum opprobria, quasi probet, ipse exsequitur: „re vera ignaviæ, neque ut Metello, cui inimici multo fortiores obstiterunt, honori discessus mihi tribuendus esset, nisi excusationem haberem, ‚*quod me illa moverunt*‘ (§ 39: triumvirorum inimicitiæ) quæ Metellum non vexaverunt.“ — Cum igitur in tractando Metello nullum lateat consilium Ciceronis, quo adductus veritatem laedat, quid de eo hoc loco iudicaverit, nobis tenendum est. Atque eum non ut aliis quibusdam locis (post red. ad sen. 25; ad Quir. 11; de domo 87; in Pis. 20; ad fam. I, 9, 16) sanctitatis innocentiæque splendore exornat, sed quamquam facta eius in universum probat, iure a nullo eum defensum esse contendit: „*ad suam enim quandam magis ille gloriam quam ad perspicuam salutem rei publicæ* ⟨*eam*⟩ (sc. causam) *sumpserat, cum unus in legem per vim latam iurare noluerat.*“ [1]) Illa vero constantia, qua laudem consecutus est (cf. 37: *patriæ caritate constantiæ gloriam commutavit*) non solum ipsam iuris iurandi recusationem spectat, ut et vox „constantia“, pro qua potius „legum observantiam“ exspectares, et Ciceronis vituperatio et verba § 101, „*quam*

---

[1]) 37 Conferendus locus § 38 . . . *non unus auctor, sed dux omnium voluntatis . . . . non modo ad singularem meam gloriam, sed ad communem salutem omnium civium et prope gentium . . . .* § 130 . . . *Numidici illius casus vel gloriosus, vel gravis . . . .).*

non iure rogatam esse iudicarat.... de civitate maluit quam de sententia demoveri" indicant: cum semel in legem non iure rogatam sese iuraturum esse negasset, postea sententiam mutare noluit. Quomodo autem de sententia, quam rogatus (statim post consules censorii sententiam dicebant: Mommsen St.-R. III, 967) in senatu de iure iurando præstando habito tulerat, demoveri potuerit, duobus modis explicare licet: aut, cum senatores, qui post eum dicebant, non ut speraverat, in suam sententiam euntes videret, nisi constantia (ut nos dixerimus pertinacia) eum impedivisset, sine dedecore ceteris cedere et iurare poterat; aut obsequii facultas etiam post intervallum lege constitutum (cf. infra III, 3), cum iam adversarii eum accusassent aut certe accusationem minitarentur, ab inimicis ita ei dabatur, ut causæ actionem etiam tum vitare posset. Atque profecto prior explicatio, qua legum severitas intacta manet, alteri, quæ pactum quoddam inter Metellum inimicosque statuit, longe præferenda est.

Fugam, quamquam non improbat Tullius, nimiæ gloriæ nostro loco ei non vertit, cum dicit, eum, si cecidisset *„cum dedecore casurum"*, si in urbe mansisset adversariosque superasset, *„multis fortibus cæsis"* i. e. cum civitatis clade victurum fuisse. Cessit, secundum Ciceronem, quia senatus partes eius deseruit.

Optime congruit cum hoc loco iudicium, quod de Metello facit in oratione pro Plancio (89), ubi laudibus eum efferens (*„non fuisse dubium, quin contentione et armis superior posset esse"*, Sestianæ contradicens.) ita tamen pergit: *„ergo ille cum suum non cum senatus factum defenderet, cum perseverantiam sententiæ suæ, non salutem rei publicæ retinuisset"* e. q. s.

Eodem loco (pro Sestio 37) Saturninum, optimatum acerrimum inimicum sat moderate Cicero commemorat, vigilantem, gratum populo, innocentem appellans; quocum conferatur § 105. Atque, ut Clodio obiceret, honestum illius ad populares transitum, adiecta tacita vituperatione *„magna contentione animi"*, pro Sestio 39 et de har. resp. 43 tangit; quæ sententia quia Gracchorum Sulpicique a nobilitate deficientium rationes eodem loco

allatæ ceteris fontibus confirmantur,[1]) temere reicienda non est. Quamquam in universum recte monetur, nimium a scriptoribus in explicandis factis hominum amoribus aut odiis tribui et facillime honestiora studia in animi motus cupiditatesque depravari. Culpam propter quam a quæstura Ostiensi (cf. Mommsen St.-R. II[3] 571, 1; 672, 2) remotus est, Cicero consulto silentio præterit, cum Diodorus qui alias maxime ei favet, merito eum punitum esse dicat (l. XXXVI frag. 12).

Neque postea, cum de Metello verba facit (pro Sestio 101), Saturninum contemptim commemorat. Atque certe his locis, ubi sine ira de viro populari loquitur, maiorem tribuamus fidem necesse est quam illis ubi ex consuetudine viri boni eum increpat (in oratione pro Rabirio passim; cf. de domo 82, in Vatin. 23; pro Plancio 88, pro Milone 8. 14. 83, de leg. III, 20 Brutus 224). Eloquentiæ denique laudem semper ei concedit (Brut. 224 de har. resp. 41).

At Glauciæ insectationem immodicam dicamus nec probemus necesse est, vel ex eo, quod inter oratores populares, quos omnes Cicero iniuste tractat (Brut. 223—227) numeratur. Utrum ipse eum cum Hyperbolo comparaverit, quod fortasse non plane a veritate recedit (cf. de re publ. IV, 11), an ex Attico hauserit hanc comparationem, quem præcipuum in oratorum Græcorum Romanorumque vitis describendis secutus est ducem, nescimus. (cf. Münzer in Herma 1905, pg. 80.) Idem de petitione valet; quantum videre licet, tam minutas res Atticus non præbebat (Münzer l. l. p. 65 sq. 93). Ad Glauciam etiam fragmentum orationis pro Rabirio apud Servium ad Aen. I, 13 servatum pertinere *(„et cum universo*

---

[1]) de Tiberio Graccho cf. Sall. Iug. 42, 1, Cic. de rep. I, 31, Brut. 103, Oros. V, 8, 3, Flor. II, 2, 2. 3, Vell. II, 2, 1. 2; Quinct. Inst. VII, 4, 13, Dio Cass. XXIV frg. 83, 2 B; magis rem intelligere videntur qui dissentiunt: Plut. Ti. Gr. 7 App. I, 17. cf. Schwartz Gött. gel. Anz. 1896 pg. 810, Kornemann l. l. pg. 30. de C. Graccho: Cic. Brut. 126: Vell. II, 6, 2; postea in deterius eius consilia mutabantur: Kornemann l. l. pg. 34. — De P. Sulpicio Rufo cf. Brut. 226, Ascon. in Scaur. 22 K, in Corn. 57 K, Vell. II, 17, 2. In Marium seditionis causa transfertur App. b. c. I, 55; Plut. Sulla 8 Liv. per. 77 cf. Cic. Læl. 2.

populo Romano, tum vero equestri ordini longe carissimus") ex similitudine loci Brut. 224 concludendum est (cf. pro Rab. 20).

Marius, quales anno 100 egerit partes, e solo Cicerone non colligitur. Cum consuli, qui rem publicam servavit seditiososque devicit, summam, ut decet, laudem tribuat (in Cat. III, 15, de har. resp. 51, pro Plancio 88, pro Mil. 8. 83 Phil. VIII, 15), eum priusquam ad optimates transiret, cum popularibus fecisse sine ira commemorat pro Sest. 37, ad maiorem Mari gloriam vertit de har. resp. 51; ceterum cautissime de eo tacet.

2. De ceteris fontibus Latinis.

a) De Livio.

Livius, ut Periocha docet, alterum Saturnini tribunatum in libro 69, qui res a comitiis tribuniciis anni 101 usque ad Metelli reditum gestas continebat, narravit. Itaque fragmentum papyri nuper reperti loco Valeri Maximi IX, 7, 1 adscito ad annum 101 Kornemann (Die neue Liviusepitome. Klio: Beiträge z. alten Gesch. 1904, 2. Beiheft p. 34) rettulit libroque 68 aut 69 assignavit. Verba *Marius*] *V c*[*onsul* si recte se habent, ea linea aut initium anni 101 significabatur, cui sic Equiti [„*custodia*"] adiungenda esset, aut consulatus nominando Mario addebatur, ut in lineis 167. 174. 182, quia antea de altero consule aut aliis de rebus verba facta erant. Adde etiam quod in]isme.[*censoris Metelli* nomen latere potest; quamquam hæc omnia ita incerta sunt, ut ad restituendum Livium nihil valeant.

Sed potius Periocham, quam res gestas usque ad Memmi cædem tantummodo narrare (nam quæ sequuntur exilia sunt) dolemus, Livianæ narrationis recuperandæ fundamentum subicientes videamus, utrum ceteri fontes latini e Livio hauserint necne. Atque primum quidem Orosius originem Livianam apertissime testatur:

Oros. V, 17, 5: *idem Saturninus Memmium, virum acrem et integrum fieri consulem timens, orta*

Per. 69: *idem Appuleius Saturninus trib. pl. C. Memmium candidatum consulatus, quoniam ad-*

subito seditione . . . . . interfecit. Fremente pro tantis rei publicæ malis senatu populoque Romano Marius consul accommodato ad tempus ingenio consensui bonorum sese immiscuit, commotamque plebem leni oratione sedavit.

versarium eum actionibus suis timebat, occidit. Quibus rebus concitato senatu in cuius causam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat, ...

Quo magis miramur quod Orosius Metellum *„a iudicibus“*, non rogante Saturnino „a populo“ damnatum esse, interdictionemque ante discessum eius a Mario renuntiatam esse dicit. Quæ ne fontium diversitati tribuamus, verba communia *„die dicta“* impediunt. Neglegenter igitur Orosius, Metellum reum factum esse videns, de quæstione cogitavit et quia ei interdictum esse constabat, id iudicio factum esse voluit, iudicibus a Mario, quem inimicum ei fuisse sciebat, permotis vel corruptis. Cetera quæ Orosius tradit, Marium interdictionem renuntiavisse Metellique reditui obstitisse a Periocha Marium seditionis accusanti non abhorrent.

De tumultu in Metellum facto quem secundum Orosium Livius rettulit, locus apud Val. Max. IX, 7, 1 exstat: cum vero Orosius de comitiis quibus Metellus censor creatus est, agere videatur, contra apud Valerium Equitius inducitur, Capitoli obsessio equitumque auxilium omittuntur. Atque re vera narratiunculas, quas in capite IX, 7 Valerius exhibet[1]) Livio tribuere non licet, quia cum Periocha atque Orosio nisi in rebus notissimis non consentiunt.[2]) Multo artior cum auctore de viris illustribus affi-

---

[1]) Quæ, quoniam intra temporis spatium haud magnum versantur, fortasse omnes ex eodem fonte fluxerunt.

[2]) IX, 7, 1—3 Saturninum Equitiumque spectant. — IX, 7, 4 ad Appianum I, 54 prope accedit, non dissentiente tamen Liv. per. 74. — IX, 7 mil Rom. 1. cum vir. ill. 67, 4 et Floro II, 9, 6 consentit; Orosius V, 19, 1. 2 non Livium sed Eutropium V, 4 reddit. Certe Gratidi legati nomen apud Orosium V, 19, 4 exstat, cum Plut. Mar. 35 pg. 367, 19, Sulla 9 pg. 428, 7 nomen non afferat et Appianus I, 57 de cæde legatorum nihil tradat, sed noluerim idcirco de Livio cogitare. — IX, 7 mil Rom. 2 cf. Per 77; paullo discrepare videtur App. I, 63. — IX, 7 mil. Rom. 3 aliunde non notum est.

nitas est, quæ plerumque fontem a Livio alienum indicat (cf. infra I, 2b.) Florus, in quem remoto Valerio inquirimus, et Mari ad optimates transitum, quamquam non inconstantiæ eius sed favoris popularis cupiditati tribuit (II, 4. 5: *tum vero iam conspiratione senatus, ipso quoque Mario consule, quia tueri non poterat, adverso* . . . .) et Saturnini *„regis“* appellationem, quamquam temporum ordinem Livianum commutavit e Livio hausisse videtur. Quod si placet, versiones conciliemus. Cum autem Orosius eodem, quo Memmius occisus est, die Marium ad senatum transeuntem faciat *(leni oratione sedavit)*, congruente periocha (quippe quæ in referendo, quæ post comitia acciderunt, de Mari mutatione plusquamperfecto loquitur atque ita certo temporis momento, comitiorum scilicet diei, eam tribuit) maior ei fides habenda quam Floro qui, si recte verba *„in eo tumultu“* ad comitia spectare putamus, Mari transitum explicat regis appellatione in eodem die collocata. Pugnam in foro commissam, Capitoli obsessionem, fistulas incisas omnes fontes commemorant. At a Liviana versione Florus eo discrepat, quod dicit Nunnium, ut Equitio tribunatus contingeret, occisum esse, interdictionem autem in legis sanctione iam poenam constitutam nec vero exilium voluntarium secutam esse, Memmi denique cædem ad Glauciæ creationem efficiendam perpetratam esse (cf. auct. de vir. ill. 73, 9: *ut Glauciam prætorem ⟨consulem⟩*[1]) *faceret)*. Idem valet de fustibus saxisque, quibus,

---

Ceterum plurima eorum exemplorum, quæ e Livio Valerius hausit, non ex integris eius annalibus, sed ex epitoma fluxisse viri docti iampridem statuerunt: ex. gr. Val. Max. I, 8, 5, IX, 3, 3 ex ipso Livio deducenda sunt (cf. Krieger: Quibus fontibus Val. Max. usus sit in eis exemplis enarrandis e. q. s. Diss. Berol. 1888, pg. 12 et 80) ex epitoma autem: I, 6, 3 (? cf. Drescher: Beiträge zur Liviusepitome. Diss. Erlangen 1900, No. 56) I, 7, 4 = No. 49; I, 8, 4 = No. 50; II, 9, 6 = No. 96; IV, 1, 9 = No. 95; V, 5, 2 = No. 52; V, 6, 7 = No. 88; V, 7, 1 = No. 78; VII, 3, 2 = No. 33; VII, 4, 2 = No. 32 (?). Adde propter consensus cum Periocha: I, 1, 14; I, 3, 1; I, 4, 4; II, 9, 7; III, 6, 4; IV. 4, 6; VI, 3, 3a; (cf. Krieger) II, 2, 4a; V, 7, 1 (cf. Zschech: De Cicerone et Livio Val. Max. fontibus pg. 38) V, 4, ext. 7 (Marcks: Quellen zum Bundesgenossenkrieg. Diss. Strassburg 1884, pg. 69).

[1]) Coniectura (cf. Wijga: Liber de viris illustribus urbis Romæ. Diss. Groningana 1890, pg. 121) propter Memmi commemorationem necessaria.

numquam intermissa pugna nec abiectis armistiti causa armis, nullus apud Orosium locus est. Florus igitur præter Livium adhibuit fontem cum auct. de vir. ill. 73 consentientem.[1]) Quod probatur comparato Velleio (cf. Burmeister de Vellei Paterculi fontibus Berliner Studien Bd. XV, 1 pg. 47) II, 12, 6: *continuatis honoribus rem publicam lacerantium et gladiis quoque et cæde comitia discutientium* = *Flor. II, 4, 3: cum iam tertium annum dominaretur... ut consularia quoque comitia nova cæde turbaret.* Velleium autem hoc loco Livium non inspexisse vel ex eo patet, quod secundum hunc Marius consulatum VI emit, secundum illum tanquam præmium virtutis adeptus est.

Perpauca igitur ad Livianam narrationem restituendam nobis præsto sunt. Nisi Orosius erravit, Metellum censorem creatum non saxis tantummodo, ut apud Valerium, sed cum armatis statim impetu facto Saturninus in Capitolio obsedit quoad ab equitibus liberaretur, consulibus, ut videtur, absentibus Mario in Gallia, Catulo apud Athesim flumen hostes exspectantibus. Narratis prœliis quibus Teutones et Cimbri deleti sunt, ad res internas Livium rediisse Periocha docet; cui loco papyri fragmentum inserendum est, si recte huc asciscitur et re vera ita supplendum est, ut narret Equitium quod a Metello in censum non receptus contra leges tribunatum petivisset, a Mario in custodiam abductum esse. Libri 69 initio comitia referebantur, quibus ut ipse Saturninus crearetur Nunnius occisus est *„fraude C. Mari“:* quæ verba si ad Livium revocare licet, gravissimam consulis accusationem continent. Ceterum fons Mario infestissimus, quem Rutilium Rufum esse censeo (cf. Plut. Mar. 28 infra I, 3 b), ideo indicatur, quod contra sensum ceteræ narrationis, — quippe summam civium lætitiam Orosius recte commemorat, — secundum Livium consulatum sextum ambitu Marius

---

[1]) de Graccho; de Nunni cæde; de sanctione; de Memmi cæde; de lapidibus cf. quæ de eo statuerunt: Rosenhauer: Symbola ad quæstionem de fontibus libri de vir. ill. Diss. Kempten 1882, pg. 10—25. Haupt: De auctoris de vir. ill. libro. Diss. Würzburg 1876, pg. 18. Schanz: Röm. Litt. Gesch. IV, 1, pg. 64/65.

adeptus est. Fortasse etiam ut de *„coniuratione“* cogitaret, a Rutilio Livius adductus est. Livi denique de Metelli exilio narratio secundum Orosium et Periocham ita processit:

Lege agraria lata Metellus, quod per vim lex rogata esset, ius iurandum sanctione constitutum, ut coniurati exspectabant, recusavit. Quapropter a Saturnino reus factus, quamquam magna pars civium sese eum defensuros neque damnari passuros promittebant, ne causa belli civilis esset, exilium voluntarium suscepit Rhodumque migravit, ubi cum philosophis versabatur. Statim aqua et igni ei interdictum est. Atque Saturninus tribunus pl. refectus comitiis consularibus P. Memmium candidatum, cuius consulatum timebat, orta seditione per P. Mettium interficiendum curavit. Qua re perterritus senatus consulem Marium qui comitia habebat, quamvis sibi inimicum sciret, ut rem publicam defenderet, hortatus est neque auxilium Marius denegavit sed *„leni oratione“*, qua sive novas leges sive impunitatem criminis pollicebatur, ne in senatum impetus fieret, impedivit. Quæ Mari defectio ad maiora scelera Saturninum incitavit, crebro rumore eum domi contionem habuisse ibique regem appellatum esse (pro fama non pro facto etiam a Livio res habebatur). Reliqua narrationis pars, quæ apud Orosium tantummodo exstat, infra (III, 5) tractabitur. Hoc loco illud monere sufficit, exceptis iis locis, quos Rutilio tribuimus, moderate de Mario Livium locutum esse: debilem antea et versandi in re publica ignarum, simulac S. C. arma capta essent, strenuem acremque se præstitisse (cf. Per. 80; Vell. II, 11. 23, 1 Burmeister l. l. pg. 46).

b) De vestigiis scriptoris cuiusdam annalium ignoti.

Cum eo fonte, quo præter Livium Florus usus est, vitam Saturnini (auct. de vir. ill. c. 73) nonnullis locis, ubi maxime Saturninus detractatur consentire vidimus. Eundem auctorem,[1])

[1]) In universum de eo disseruerunt: Enmann, Philologus 1884, IV. Suppl. pg. 460 sq. Haupt, de auctoris de v. ill. libro, Diss. Würzburg. 1876, pg. 15. Hildesheimer, De libro qui inscribitur de vir. ill. urbis Romæ. Diss. Leipzig 1880, pg. 27–35. Rosenhauer, Symbola ad quæstiones de font. libri de v. ill.,

fortasse præter Florum, Ampelius adiit.[1]) A vero igitur vix aberrabimus, si etiam ea, quæ auctor de vir. ill. 73 cum Valerio Maximo communia habet[2]), præsertim cum Saturnino eiusque satelliti Equitio minime faveant, eidem fonti tribuemus:

auct. de vir. ill. 73, 3: *quendam libertini ordinis subornavit, qui se Ti. Gracchi filium fingeret;* idem 62, 1: *Quinctium* (sic!) *qui se Ti. Gracchi filium mentiebatur.* cf. Val. Max. IX, 7, 1: *L. Equitum qui se Ti. Gracchi filium simulabat;* cf. IX, 15, 1.

auct. de v. ill. 73, 4 de Semproniæ testimonio cf. Val. Max. III, 8, 6.

Kempten 1882, pg. 10 sq. cf. Peter, Gesch. Lit. d. Kaiserzeit II, 368 sq. Schanz, Röm. Lit.-Gesch. IV, 1, p. 64/65.

[1]) cf. Haupt l. l. pg. 8 sq. Hildesheimer pg. 15 sq. Enmann pg. 476 sq. Peter, Geschichtl. Lit. der Kaiserzeit II, 372.

18, 14 *Metellus cum perniciosas rei publicæ leges ferret Apuleius totusque senatus in eos iurasset, maluit in exilium ire quam iurare.* Flor. II, 4, 3 *unus tamen exstitit qui mallet exilium;* Val. Max. III, 8, 4: *cum animadverteret quo tenderent Saturnini funesti conatus ... . in exilium quam in legem eius ire maluit cf. v. ill.* 73, 6; 62, 2.

Ceteri fontes omnes rogationem per vim factam recusationis causam dicunt.

26, 3 *tertia seditio Apulei Saturnini tr. pl. et Glauciæ consulis, quos comitia in campo cædibus perturbantes Marius in Capitolium persecutus obsedit et conficiendos fustibus saxisque curavit.* Flor. l. l.: *ut consularia quoque comitia nova cæde turbaret.* II, 4, 62 *populus fustibus saxisque opertum .... laceravit.* vir. ill. 73, 10: *Saturninum .... in Capitolium persecutus obsedit.*

Glaucia falso consul dicitur; quoniam vero fons noster creandi Glauciæ causa Memmi cædem accidisse rettulit, re vera eum, Glauciam consulem factum esse, narravisse credendum est.

[2]) iampridem fontem communem viri docti enucleaverunt: cf. Hildesheimer l. l. pg. 40. 41. Exemplis ab eo collectis adde: Val. Max. III, 2, 1 = auct. de v. ill. 11; de III, 2, 3. cf. Krieger l. l. pg. 70, de III, 2, 6. Krieger pg. 71; de I, 6, 1. cf. Krieger pg. 73 maluerim de Livio cogitare; II, 7, 10 = auct. de v. ill. 61, 4 = Ampel 18, 14 = Vell. II, 5, 2. 3 = Frontin IV, 1, 23. cf. Burmeister p. 23; IV, 1, 7 = auct. de v. ill, 45, 4. Drescher l. l. No. 89 haud recte Epitomæ exemplum vindicat; IV, 1, 13 = auct de v. ill. 62, 3. IV, 7, 2 = auct de v. ill. 65, 5; V, 6, 5. 6 = auct de v. ill. 26. 27. cf. Per. 10, 8. Drescher No. 77. VI, 2, 3 = auct de v. ill. 58, 8; VI, 9, 1. cf. Krieger l. l. 72; VII, 2 ext. 17 = auct. de v. ill. 30; (haud recte Drescher No. 73 Epitomæ tribuit) VIII, 6, 3 = auct. de v. ill. 20 (haud recte Drescher No. 65) IX, 4, 3 = auct de v. ill. 65. Krieger pg. 69 seq. Valerium Antiatem per Hyginum auctorem esse censet consensus.

Totum caput Val. Max. IX, 7 ne huic fonti vindicetur additis etiam exemplis III, 8, 6 IX, 15, 1,[1]) si recte cum auctore de viris illustribus ea comparavimus, a Livio abiudicavimus, nihil impedit. Indolem vero eius inspectis iis qui eum excerpserunt scriptoribus iam confidentius determinare licet; ne „Vitas“ enim probemus quas Hildesheimer (l. l. pg. 40, 41) exscriptas esse contendit, eo prohibemur, quod e vitarum scriptore Florum hausisse minus placet, quam apud Valerium, auctorem de vir. ill., Ampelium annalium scriptor suspicionem movet.

Certe auctor cuius vestigia premimus, odiosissime Saturninum detrectans historiam miro modo depravavit: de Equitio a Saturnino tamquam instrumento adhibito copiose narravit; Equiti causa[2]) Nunnius, Glauciæ causa Memmius occiduntur; Saturninus tribunatus continuat[3]); Glaucia a. 100 consul creatur[4]); leges cum Gracchanis comparantur (Florus II, 4, 2); Æmilius Scaurus (Val. Max. III, 2, 18 = auct. de vir. ill. 72, 9. cf. pg. 19.) introducitur; fides data et violata commemoratur. Quin et apud Appianum noster latere potest, quandoquidem de Nunni cæde (Val. Max. IX, 7, 3 = App. b. c. I, 28 § 128) de pluvia facta (auct. de vir. ill.

---

[1]) Qualem regulam secutus Valerius se ipse laudet, non invenio apud commentatores eius.

[2]) Cum Floro Valerius consentit qui Equitium populi studio e custodia liberatum esse tradit neglegentiæque excerptorum tribuendum est, quod ceteri qui a nostro pendent, Saturninum ipsum afferunt. Apud Val. Max. IX, 7, 3 *„tæterrimus civis“* secundum grammaticam Saturninum designat, sed fortasse e mente scriptoris Equitium in fonte nominatum spectat.

[3]) Primum tribunatum anno a. d. IV Id. Dec. a. 102 — a. d. IV Id. Dec. 101 tribuit Valerius Maximus, qui in narratione III, 8, 6 ante comitia tribunicia anni 101 ponenda (cf. infra II) de „tribuno“ verba facit, quem, quamvis nominatim non significetur, Saturninum esse nemo non videt. Deinde Florus, cuius verba II, 4, 3 *„cum iam tertium annum dominaretur“* tam aperte de continuatis honoribus loquuntur, præsertim collato Velleio II, 12, 6 (cf. supra p. 27), ut apud auctorem de vir. ill. illud *„tribunus plebis refectus“* (73, 5) et *„tertio refectus“* (73, 9) e scriptoris consilio certe, aliter atque de triennio non interrupto explicari nequeat.

[4]) Quod præter locos supra laudatos fortasse apud Velleium intelligendum est, cuius verba *„continuatis honoribus“* ad Saturninum *et* Glauciam spectare possunt.

73, 7 = App. I, 30 § 133) de Saturnino tegulis occiso (auct. de vir. ill. 73, 11 = App. I, 32 § 145) similia tradit[1]) (cf. infra de I, 28 § 176).

Ne vero formam libri de viris illustribus nostræ coniecturæ opponas ea, quæ vir doctissimus F. Leo (Die griechisch-römische Biographie in ihrer litterarischen Form pg. 309—311) de libello disputavit, monent. Neque enim solum persæpe vera historia postea demum narratiunculis de vita et moribus aucta est, sed etiam inter singulas vitarum descriptiones est distinguendum. Cum Cinnæ (69) vita nihil aliud sit nisi historia in paucissima verba contracta, earum quæ ad nos pertinent Metelli (c. 62) recte ex ampliore vita deducitur;[2]) Mari partim ad traditionem optimam vitæ cuiusdam ex elogiis petitæ redit (cf. C. I. L. I², pg. 195 de Jugurtha et de Saturnino) partim Livio et aliis usa est[3]). De Saturnini vita certum iudicium facere audaciæ est. Tamen facta nude relata a narratiunculis postea (ex annalium scriptore?) insertis fortasse recte aliquis distinxerit (optimo iure Rosenhauer pg. 60 Hildesheimero pg. 79 oblocutus Cic. Brut. 224 adhiberi non vult).

3. De Plutarcho Appianoque.

a) De fonte communi.

Ad pernoscendam Plutarchi Appianique rationem, qua in narrationibus usi sint, optimam ansam consensus eorum præbet, quo fons communis indicatur. Quem fontem tamen non verbo

---

[1]) Vestigia fontis cuiusdam Latini apud Appianum passim deprehenduntur cf. I, 3 b. De consensu Appiani cum auctore de vir. ill., cum Floro atque Valerio cf. Marcks Überlieferung des Bundesgenossenkrieges pg. 28. 29. Plane congruit cum iis, quæ modo statuimus, Schwartzi sententia Pauly-Wiss. III 1696/1697 cf. Berliner Phil. Wochenschrift 1905, 1567 seq.

[2]) cf. Rosenhauer l. l. pg. 18. 34; sed non recte et hic (pg. 61) et Hildesheimer (pg. 78/79) Ciceronem (pro Sestio 37; in Verr. IV, 147) comparantes de Varrone cogitant cf. Val. Max. IV, 1, 13; tumultum, qui Graccho a censu excluso factum est, (Val. Max. IX, 7, 1; Elog. C. I. L. I², pg. 196 a Mommseno restitutum) excerptor omisit.

[3]) auct. de v. ill. 67, 5 = Oros V, 19, 7 = Per. 79; de campis Raudiis cf. Müllenhoff: Deutsche Altertumskunde II, 143; de rogatione Sulpicia auct. de vir. ill. 67, 4 Flor. II, 9, 6.

tenus sequuntur neque inutile est inspicere, quo semper consilio et hic et ille recedant ab eo aut non recedant. Notetur autem hic fons siglo x, dum rectene Posidonium eum esse contendat Busoltius (Jahrbücher für Philologie und Pädagogik Bd. 141, pg. 341 sq.) necne, compertum habeamus.

Initium igitur faciamus ab iis locis, in quibus nostri plane congruunt; quos remotis intercedentibus narrationis partibus, quæ dissentiunt, ita coniungamus, ut contextum quem vocant logicum præbeant; tum cum fonte communi, hac via, quantum licet, recuperato auctores servatos comparemus. Quantum fidei historicæ eis tribuendum sit, interea in incerto relinquimus; illud autem iure præsumatur, fontis x naturam a scriptoribus servatis recessisse: quippe facta nunc inconcinne disposita et male cohærentia auctorum sive studio sive neglegentia ex antiquiore narratione continua depravata esse, dummodo rationes attulerimus, nemo negabit. Præeunte igitur Busoltio locos congruentes adscribemus[1]):

Cum Metelli constantia confisus (Plut. c. 29, Tom. II, pg. 361,8 τὸν δὲ Μέτελλον εἰδὼς βέβαιον ἄνδρα = App. I, 30, 135: καὶ τὸν Μέτελλον εἰδὼς στερρόν τε τῇ γνώμῃ καὶ βέβαιον) Marius insidias compararet, dolus eiusmodi ei excogitandus erat, ut ad promissum adversarium adduceret, quod si servaretur, — non servare autem constantia promittentis vetabat, — interitum ei afferret. Itaque lege Appuleia decreta ipsum Marium sese ei obtemperaturum negasse rationemque, cur ita sentiret, omnibus probabilem protulisse, ut senatus idem statueret neque ipsius opinioni fidem detraheret, sine dubio in fonte x narrabatur. Clausulam vero a Mario postea in iureiurando adhibitam qua sententiam quæ senatoribus placuerat, quodam modo retinens mutationem consilii minus asperam redderet, e Plutarchi Appianique consensu repetimus. (Plut. p. 361, 22 εἴπερ ἔστι νόμος = App. 136 ἢ νόμος

[1]) Locis Plutarcheis e vita Mari sumptis numeri paginarum linearumque editionis Teubnerianæ a C. Sintenis curatæ, Appianeis bellorum civilium l. I paragraphi editionis Mendelssohnianæ a Viereckio iteratæ (1905) adiecta sunt.

ἐστίν.) Quacum argumentatio ab eodem in senatu dicta, in fonte x olim congruere debebat. Cum autem in illa exceptione auctoritatem legis in dubium vocaret, etiam apud senatum Marius non formam nec sanctionem legis neque id quod ea constituebatur, sed rogationis modum increpando sententiam suam defenderat verbisque: οὐκ ἔστι νόμος ὁ πρὸς βίαν κεκυρωμένος vel similibus, quasi a Saturnino iuris contemptore descivisset, honestatis personam induens optimatibus fidem fecerat. Inconsulte igitur Plutarchus p. 361, 2: ‚καὶ γὰρ εἰ μὴ μοχθηρὸς ἦν ὁ νόμος, ὕβριν εἶναι τὰ τοιαῦτα τὴν βουλὴν διδόναι βιαζομένην ἀλλὰ μὴ πειθοῖ μηδὲ ἑκοῦσαν‘ Marium argumentum et formam legis (sanctionem) vituperantem facit: quomodo enim optimates ei qui ipse unus ex auctoribus legis fuerat, argumentum aut formam improbanti fidem habuisse, scribere quisquam potuit nisi omni probabilitatis sensu carens? Quomodo cum formula εἴπερ ἔστι νόμος (‚εἴπερ ἀγαθὸς ὁ νόμος, exspectares) quæ ut Appianus docet, e fonte x manavit, hæc consentiunt? Quæ igitur ut Plutarcho aut saltem fonti eius proprio tribuamus, Appianus nos monet, qui quamvis rationes a Mario in senatu allatas non commemoret (§ 135), argumentum tamen quod fonti x vindicavimus, in iureiurando (§ 136: ‚ἐπιδείξειν, ὅτι οὐκ ἔστι νόμος ὁ πρὸς βίαντε καὶ βροντῆς ὠνομασμένης κεκυρωμένος παρὰ τὰ πάτρια unde etiam in § 135 subaudiendum est) exhibet atque ita conclusionem nostram confirmat.

Post legis rogationem demum, secundum fontem x, insidias Metello paratas esse eo arguitur, quod rogatione non legitima, quæ provideri non poterat, tamquam instrumento usus dolum Marius perpetravit. Ideo in eodem fonte non Metelli causa sanctio legi addita esse dicebatur, sed aut aliter[1]) aut omnino non explicata e rerum connexu in Metellum dirigebatur. Nam si Metelli causa sanctio inventa esset, eumque non iuraturum esse ab initio omnes prævidissent, insidiis nihil amplius effectum esset quam ut Marius id, quod et alia via poterat, ignominiosius perpetrando, magnam sibi invidiam contemptionemque contraxisset.

---

[1]) Appianus § 131 lin. 8 antiquiorem explicationem adumbrat.

Porro tum demum dolum Mari tangere poterat auctor, postquam de Metelli constantia locutus erat, qui locus, ut e Plutarcho Appianoque concluditur, in fonte x ante senatus, in quo de iureiurando præstando agebatur, descriptionem nec vero iam ante legis promulgationem et plebiscitum exstabat. Quod si autem e fonte x, ne scriptori ignoto iniuriam faciamus, vestigia latentia secuti, ea, quæ narrationis iustum processum turbant, eliminavimus, apud nostros auctores eas contradictiones occurrere urgendum est: quippe Appianus ineptias, quæ inde oriuntur, minime curans Marium iampridem Metello infensum (I, 29, § 129 ἀφανῆ obscurum est; ἐμφανῆ con. Mend.) sanctionem ad eius interitum composuisse narrat, neque aliter Plutarchus censet apud quem Marius eiciendi Metelli consilium (p. 360, 17), quod multo ante inierat, post legem rogatam maiore contentione persequitur.

Et re vera, ita fons x pergebat, (Plut. 361, 13 τοῦ Μετέλλου φήσαντος μὴ ὀμόσειν = App. 30, § 135 συναποφηναμένου δὲ ταῦτα καὶ τοῦ Μετέλλου; Plut. 361, 14 ἡ βουλὴ διελύθη = App. l. l. ὁ Μάριος διέλυσε τὴν βουλὴν quod expresse afferre minime necessarium erat) insidiarum, quæ ei struebantur, inscius Metellus iusiurandum recusavit, senatusque dimissus est, postquam in eandem sententiam totus ordo ierat: neque enim dubito, quin Appianus ceterorum senatorum ἐπαινέσεις commemoratus genuinam narrationem retinuerit, cum Plutarchus de Metelli sententia ita loquatur, tamquam unus sententiam tulerit.

Quo die secundum legem iusiurandum præstari debebat, facto silentio (Plut. 361, 17 γενομένης σιωπῆς = App. 31, § 137 πάντων σιωπώντων, quod ut supra senatus missio, nisi e fonte communi manaret non apud utrumque inveniretur) omnibusque Mari recusationem exspectantibus consul callido (Plut. 361, 23 τὸ σοφόν = App. 30, § 136 σόφισμα) artificio usus iusiurandum clausula instruxit ceterique præter Metellum eum secuti sunt (Plut. 361, 26 ὤμνυσαν οὖν ἅπαντες ἐφεξῆς δεδιότες τὸν δῆμον ἄχρι Μετέλλου = App. 31, § 138 ὤμνυον δὲ καὶ οἱ λοιποὶ τὸ ἑαυτοῦ δεδιὼς ἕκαστος. Μέτελλος δ' οὐκ ὤμοσε μόνος...). Ut vero enucleemus, quas agendi rationes fons x Mario tribuerit, primum id ipsum, quod certam iurandi

condicionem sibi constituit, clare demonstrat, eum priorem sententiam prorsum deponere noluisse sed quodammodo eam retinuisse. Quocum consentit explicatio ab Appiano (§ 136) prolata, qua optima ratione honestatis species fingebatur: timere se populi pro lege studia, nec obsisti posse; meliore tempore lex, quæ non iure rogata sit, abrogetur: quod ut sine periurio facere possint, illud ἧ νόμος ἐστίν iuriiurando inserant. Contra apud Plutarchum recusandi iurisiurandi argumentum, quo optimatibus fidem faciat, plane desideratur; pro quo illepide Mari, qui sententiæ mutationem improbo dicto ornat, „innata impudentia componendi mendacia promissaque irrita faciendi“ (p. 361, 6 αὐτὸς μὲν γὰρ εἰς ἀρετῆς καὶ δεινότητος μερίδα τὸ ψεύσασθαι τιθέμενος κ. τ. λ.) inducitur.

Quod etiam de loco, ubi Marius alteram sententiam palam dixerit, scriptores dissentiunt, sic de ea re iudicabimus, Appianum recte senatum illo die habitum afferre, Plutarchum autem vi cuidam dramaticæ studentem locum sententiæ ferendæ cum loco iurisiurandi coniunxisse atque silentium, quod in fonte x Mari verba sequebatur, ante ea transposuisse. Certe vero senatus secundum x plane a Mario deceptus est. (Plut. 361, 25 τοὺς ἀρίστους κατήφεια δεινὴ καὶ μῖσος ἔσχε τοῦ Μ. τῆς μεταβολῆς; App. I, 31, § 137 ὑπ' ἐκπλήξεως).

De lege porro, qua Metello aqua et igni interdiceretur, a Saturnino rogata (Plut. 362, 4 ἐκ τούτου ψηφίζεται Σατορνῖνος ἐπικηρῦξαι τοὺς ὑπάτους ὅπως πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ στέγης εἴργηται Μέτελλος = App. § 139 ψήφισμά τε φυγῆς ἐπέγραφον αὐτῷ καὶ τοὺς ὑπάτους ἐπικηρῦξαι προςετίθησαν μηδένα Μετέλλῳ κοινωνεῖν πυρὸς ἢ ὕδατος ἢ στέγης) a Mario post inimici discessum renuntiata auctores consentiunt. Melius tamen Appianus temporum rationem servat, quoniam ea tantummodo condicione Metelli fortitudo laudabatur animique magnitudo, qua ne pro sua salute arma caperentur, cavebat, si, quamvis posset; ne interdictio perferretur impedire noluerat, at rogata de se lege quoniam remanendi in urbe facultas demebatur, discessus laudi non tribuendus erat. Pœnam lege constitutam Appianus § 131 (Plutarchi pg. 361, 29 ἐπιτίμια ἀνήκεστα ei non obloquuntur) exhibet, quacum congruunt,

quæ de Metello idem tradit (138. 139). Optimum ex eodem loco (138 sq.) argumentum arcessitur, — de exilio enim nihil habet — ad confirmanda ea quæ de sanctione secundum fontem x non Metelli causa addita diximus; et quod multo minoribus apud Appianum quam apud Plutarchum Metellus laudibus celebratur, fortasse eidem fonti x vindicandum est.

b) De natura et fide narrationum Plutarcheæ et Appianeæ.

Comparatione facta Plutarchum narrationem exornantem multo longius quam Appianum a fonte communi recedere neque consecutionem rationum factorumque curare vidimus; huc revocare licet: inconcinnam Mari argumentationem (360, 32 — 361, 4); narrationem de iureiurando præstito tragicorum more exornatam (361, 13—18); senatus deceptionem inurbane deformatam; verba 361, 23 παρακάλυμμα τῆς ἀισχύνης e fonte x retenta, quamquam Plutarchi narrationi non conveniunt; clausulam εἴπερ κ. τ. λ., quoniam secundum Plutarchum manifesto a senatu Marius desciscit (361, 18 sq.), inepte introductam; rogationem interdictionis omissis causis falso collocatam; inimicitias inter Marium Metellumque in singulis rebus accurate tractatas; Metelli mores versu Pindarico (361, 9. 10) illustratos rationemque, cur armis pugnare noluerit, ad philosophiæ præcepta fictam (c. 29, pg. 361, 31 – fin.); Mari tamquam mero improbitatis amore improbi descriptionem (361, 6—8, 18—21): nonne artis rhetoricæ specimen potius quam historiam tenere videmur? Nec non magna arte et per totam narrationem Mari cum Metello altercatio a parvis primordiis ad usque ingentem flammam adulta describitur [1]) et e Mari moribus res gestæ anni 100 explicantur: rusticum cum populo agendi ignarum (p. 359, 20 παρὰ τὴν φύσιν ὑγρός τις εἶναι βουλόμενος ἥκιστα τοιοῦτος πεφυκώς) immensa excitatum ambitione

---

[1]) cf. c. IV, pg. 331, 29. 332, 8; capita VII—X pæne explet cf. pg. 376, 19 sq. Malorum in bonos communi odio (360, 5) excitatus iampridem omni modo (360, 12) Metellum expellere (360, 8) conatus erat; una cum eo consulatum petivit (360, 17); expulsi Metelli reditum impedit (363, 12).

(cf. c. 28, pg. 359, 16 sq.; c. 31, pg. 363, 23—28; c. 32, pg. 364, 3—10; c. 34, pg. 366, 5 sq.) a sociis, quibuscum coniuravit, quo non velit, tractum inconstantiaque lapsum ridicule in civitate versatum videmus (cf. c. 28, pg. 360, 4—13; c. 30, pg. 362, 18—20, 22—30; 363, 7—9.)

Appianus vero ab eodem fonte profectus Marium, quem Plutarchus aut fons Plutarchi detrectare videntur, benevolentius tractat.[1]) Quod in maiorem Mari gloriam res commutandi consilium in eis quæ sequuntur, sine dubio deprehenditur. Nam ut explicemus, quod si Plutarchum comparas, apud Appianum Marius adiutoris tantum non actoris personam sustineat, auctis contra Glauciæ partibus (cf. App. § 126. 127 lin. 4. 7; 128 lin. 8. 13; 139. 142 lin. 5. 7; 143. 144), non satis est dicere Plutarchum unius Mari vitam enarrandam animo sibi proposuisse. Aperte enim ut disculparetur Marius, Saturnini cædes senatus consulto nominatim consulibus concessa esse dicitur (§ 144); populus odio in Saturninum flagrasse traditur (143) ut pro populo consules seditionem exstinxisse videantur. Hæsitans S. C. Marius paret (144); fistulæ incisæ disertis verbis aliis crimini vertuntur (144, 18). Fidem autem non solum non dat, sed a ceteris, ut Saturninum sociosque occidat, incitatus contra S. C. omni modo eos servare conatur (§ 145) et ipse crimini perpetrando non adfuisse videtur. Illud quoque animadvertendum est, quomodo plebi urbanæ (πολιτικὸς ὄχλος § 133, 18; 134, 21 = ἀστικοί § 134, 1; 140, 14; = δῆμος 128, 13; 132, 14; 143, 12; 147, 12; 148, 1) pro optimatibus stanti, rustici opponantur (οἱ ἀνὰ τοὺς ἀγρούς: 132, 12; 134, 22; 136, 16; 139, 8; 143, 14). Atque narrationis specie „pragmatica“, quam vocant, ne decipiaris, illud tecum reputes, quo iure plebem urbanam cum optimatibus facientem legemque de coloniis deducendis asperrime impugnantem, contra rusticos Italicorum causam suscipientes legemque, e qua maiorem urbanos capere fructum manifestum erat, tanto studio

---

[1]) Nonnulla iam Busoltius (Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, Bd. CXLI, pg. 341 ff.) monuit.

adiuvantes scriptor proponat. Nonne proletarios Marium ad militiam delegisse sibique devinxisse constat? Nec non ad abrogandam narrationi fidem error valet, cum § 136, 13 δῆμος ei dicantur quorum adversarii § 132, 14; 143, 12 idem nomen habent; πλῆθος vox § 141, 2, utri parti imponatur incertum est. Cavendum igitur est, ne falsam urbanorum rusticorumque oppositionem ad historiam enarrandam adhibeamus.

Ne vero nimis temere de Plutarchi exaggeratione in decerpendo Mario deque Appiani in eundem benevolentia et in describendis civitatis factionibus dubia fide dictum esse videatur, exemplis longius petitis coniectura firmetur.

Atque Plutarchum in enarrandis Mari bellis civilibus præter vitarum scriptorem historia continua usum esse non solum consensus cum Appiano, sed etiam ipsius Plutarchi in diversis vitis concinna narratio testatur (cf. F. Leo: Die griechisch-römische Biographie, pg. 174, qui ita iudicat, quamvis disertis verbis id non statuat); compara enim:

vitam Mari	XXXII,	pg.	364,14 sq.	cum	Sullæ	VI,	pg. 422,24 sq.
„	XXXII,	„	364,20	„	„	VI,	„ 422,31 (ὅσον οὔπω)
„	XXXIII,	„	364,28	„	„	VI,	pg. 423, 2 (ποίκιλος)
„	XXXIII,	„	364,30	„	„	VI,	pg. 423, 4
„	XXXIV,	„	366,12	„	„	VII,	„ 425,28 sq.
„	XXXV,	„	366,26	„	„	VIII,	„ 427,10 sq.
„	XXXV,	„	366,32	„	„	VIII,	„ 427,19
„	XXXV,	„	367, 1	„	„	VIII,	„ 427,27
„	XXXV,	„	367, 2	„	„	VIII,	„ 427,29
„	XXXV,	„	367, 5	„	„	VIII,	„ 427,30
„	XXXV,	„	367,14	„	„	VIII,	„ 428, 2
„	XXXV,	„	367,18	„	„	VIII,	„ 428,23
„	XXXV,	„	367,19	„	„	IX,	„ 428, 6 sq.
„	XXXV,	„	367,21	„	„	IX,	„ 428, 9
„	XXXV,	„	367,22	„	„	IX,	„ 428,30
Sertori	IX,			„	„	IX,	„ 429,31

Mari	XLI,	pg.	375, 6,22	cum	Sullæ	X,	pg.	430,26 sq.
				=	Sert.	IV,	„	91,19
„	XLI,	„	375, 8 sq.	„	Sert.	IV,	„	91,25 sq.
„	XLI,	„	375,24	„	„	IV,	„	91,30
„	XLIV,	„	379,29	„	„	V,	„	92,24 sq.

Fons ille autem, ut e loco supra tractato eque nonnullis quos afferam, apparet, minime Marium laudibus extulit. Quotiens igitur Plutarchus Appianusque non verbo tenus consentientes et colore dissentientes tamen ex eodem fonte pendere videntur, utrum Appianus pro Mario res retractaverit, an Plutarchus odium in eundem exaggeraverit, per se non patet. Tamen hoc alterum ei loci, qui paullo certius tractari possunt, commendant. Ne vero ipsi Plutarcho malignitas tribuatur, sed ut inter eum fontemque x auctor quidam inseratur, præter mite scriptoris ingenium illud flagitat, quod compluribus locis ipsius Arpinatis dicta acerrime impugnantur quæ, nisi in rhetorum scholis ea ficta esse censeas,[1]) fontem a Mari necessario conscriptum adhibitum esse arguunt: cf. 27, pg. 359,12 sq.; c. 30, pg. 363,9 sq.; c. 31, pg. 363, 17; c. 32, pg. 364, 4; c. 33, pg. 364, 31 — 365, 4; c. 34, pg. 365, 29; c. 34, pg. 366, 21 (cf. c. 36, pg. 369, 15. 21); quæ autem consuetudo plures adeundi fontes in Romanorum vitis a Plutarcho aliena est (cf. F. Leo l. l.).

Ceterum licet aliter de hac re iudices, clare a fonte communi auctores sæpe certo consilio recedere argumenta hæc secundum Plutarchum ordinata docent: quod c. 30, pg. 363, 7—11 de censuræ petitione legimus, nullo alio testimonio firmatum rerumque ordinem plane disturbans (cf. infra III, 6) odiosissime contra Marium fictum esse videtur. In c. 31, pg. 363, 12—14 Plutarchus ab Appiano (I, 33 § 147) recedit, qui Furium inimicissimum Metello fuisse dicit; e fonte igitur communi, qui

---

[1]) Fontem rhetoricum laudibus nimis indulgentem, cuius ætas definiri potest, in conscribendis Gracchorum vitis adhibuit: cf. Kornemann, zur Geschichte der Gracchenzeit, Beiträge zur alten Geschichte, Beiheft I 1903, pg. 40—42.

Marium cum Furio coniungebat (cf. Oros. V, 17, 11; ita etiam Livius) uterque nomen quod suo consilio aptum esset, elegit.

c. 33, pag. 364, 28 – 365, 4 nemo quanta hoc loco iniuria Marius vituperetur, non videt, quoniam secundum eundem Plutarchum (pg. 365, 5) magnam victoriam reportavit (cf. Marcks: Die Überlieferung des Bundesgenossenkriegs 91—89 v. Chr., Dissertation, Straßburg 1884, pg. 70) neque ullam hostibus vincendi occasionem obtulit (cf. c. 16, pg. 345, 3 sq.) atque ni milites eum impedivissent, occasione felici usus esset. Et re vera apud Appianum Mari gesta artificiosissime extolluntur: Marius legatus (I, 40, § 179) remoti ab imperio Perpennæ exercitum accipit (I, 41, 183), postea etiam Rutilianorum militum dimidiam partem (I, 44, 196) Cæpionisque copias (§ 198). Magnam quam nunc exspectas, rerum fastigium, victoriam, introducta inepta narratiuncula de Sullæ [1]) et Mari pugna excidisse Marcksius (pg. 48—50) aliis usus argumentis demonstravit. Sulpicii personam (cf. Plut. Mar. 35, pg. 366, 25 sq., Sulla c. 8, App. I, 55. 56, § 241—248) severe Plutarchus vituperat Marique ambitionem in ridiculum vertit; cumque secundum Appianum lege de Italicis in omnes tribus distribuendis promulgata iamiam contentio exarsisset (I, 55, § 244) subitam incursionem Plutarchus fingit, qua Pompei filius innocens, non παρρησιαζόμενος (ita Appianus cf. I, 28, 127; minime Keili coniectura probanda est) interficitur. Plut. 35, pg. 367, 17—23 (Sulla c. 9, pg. 429, 13) cum Appiano (I, 57, 250—256) vix conferri potest; sed de amicis Sullæ a Mario necatis Appianus tacet.

In describenda Mari fuga fons rhetoricus Plutarchi odii immemor exulis mala ita cumulavit, ut nonnumquam ex alio

---

[1]) Sullam haud quaquam Appianus detrectat sed altero belli anno gloriosissimas ei partes tribuit (cf. I, 50. 51, § 217—226) et legatos ab eo interfectos esse non tradit. Plut. Sull. 11, pg. 429, 20 sq. eum tamquam dementem depingit, quamvis optima ratione egerit; pro signo arrepto (App. I, 58, 260) facem ardentem posuit. At Appianus (§ 264) quanta cura Sulla urbem a cæde et incendio servaverit, ostendit; cf. Schwartzi (Hermes 1898, 229 - 235) de Antonio et Cæsare sententiam, ad quam optime I, 32, 143; 33, 146; 71, 331; 73, 338. 339 quadrant.

scriptore non apta inserens fontem communem depravarit. Recte quidem[1]) Marius antequam Minturnas venit, in paludibus latet; sed errorum narratio non placet: 1) a promontorio Circeo (pg. 368, 19) secundum mare (369, 5) Minturnas versus progreditur, per Terracinam scilicet, quam tantopere metuebat urbem (pg. 368, 13). 2) Sub Liris ore e navi egressus (370, 10) iter carpit, dum (370, 24) in piscatoris tugurium incidit (370, 25), qui ad Lirim eum reducit (371, 2); quod spatium paullo maius fuisse credas, quam ut (371, 6) strepitum in casa orsum, prope flumen stratus, auribus percipere posset. Cur porro a sene iam absconditus (370, 31 — 371, 4: τοῦ δὲ Μαρίου δεηθέντος τοῦτο [sc. κρύπτειν αὐτὸν] ποιεῖν) iterum sese occultat? (371, 10. 11) Secundum versionem fontis x (cf. App. I, 62, 277) in tugurio quietem captans appropinquantibus equitibus in paludes sese abdidit, quod inconsulte cum Latinorum narratione Plutarchus connexuit. 3) Plutarchi verba (p. 372, 18. 20) οἴκημα ‚ἐπίσκιον', (p. 372, 11. 12) ‚κελεύσας' si cum App. I, 61, 273, 13 ἀναπαυόμενον ἐν οἴκῳ ζοφώδει comparas, ad unam Appiani versionem secundum quam in domo amici cuiusdam occultatus (ideo „obscura", ideo „imperat") a Minturnensibus interceptus est, nec ad Plutarcheam, qua Fanniæ custodiendus traditur (cf. Val. Max. I, 5, 5; VIII, 2, 3) quadrare videntur. 4) Idem de enuntiato ἵτω κ.τ.λ. (372, 29 sq.) statuendum. quod ex alia versione (fortasse Appianus ita censet I, 62, 276) falso a Plutarcho retinetur, quamvis Marius non ἄπορος καὶ γυμνὸς sed cibariis navique donatus a Minturnensibus dimittatur cf. 373, 10—13. Cic. pro Planc. 26 post red. Quir. 20 et testimonia supra allata).

Paullo certius fontem communem in extrema Plutarchi vita deprehendimus:

Plut. Mar. 41, pg. 375,28	=	App. I 67, 306 (cf. Schwartz Pauly-W. II, 222)
„ „ 43, „ 377,11—25	=	„ I 70, 319—324

[1]) cf. Sall. Hist. frg. I, 24. 25, M. Cic. pro Sestio 50; in Pis. 43 de fin II, 105, Livius apud Oros. V, 19,7; Per. 77, Val. Max. II, 10, 6, Vell. II, 19,2 auct. de vir. ill. 67, 4, 5, Ampel. 42.

Plut. Mar. 44, pg. 378,23—379,22 = App. I 72, 333—335
„ „ 44, „ 379,29—380,4 = „ I 74, 343—344
„ „ 44, „ 379,27—29 = „ I 73, 338

Nec non maiorem belli Mariani partem ad eundem referre licet. Certe nusquam ad verbum auctores consentiunt, at si Plutarchum ea eligere tantum quæ ad Mari personam spectant, consideras, haud absurda coniectura videbitur. Ita de Metello auctores haudquaquam dissentiunt: Plutarchus neglecto rerum gestarum nexu (42, 376, 19) patris causa eius mentionem facit eiusque profectionem (376, 27) commemorat. Appianus, quamquam I 69, 315 de eo verba fecerat, eius discessum omittit; quoniam vero in § 318 et 321 Metellus non occurrit, nihil impedit, quin § 316 post αὐτίκα iter eius intelligendum sit inque fonte exstiterit. Unam pro compluribus Appiani (I 69, 316—320) legationibus Plutarchus (pg. 377, 11) retinet, quia in ea tantum de Mario verba facienda erant. Octavi mortem (42 pg. 377, 3—8) præcepit (cf. App. I, 71, 326/327) ut cum Metelli fuga compararetur locusque sententiis ex philosophia petitis pateret (pg. 377, 7 sq.).

A Plutarcho (41, pg. 375, 14—19) auctoribusque Latinis (cf. Schol. Gronov. pg. 410 Or.; Flor. II, 9, 11 auct. de vir. ill. 67, 6) Appianus (67, 306) recedens Marium Etruscis promittentem facit, se legem a Cinna (287. 288) promulgatam perlaturum esse: neque igitur servos sed iam cives colligit quique postea commemorantur servi, a Cinna vocati erant (App. I, 74, § 343, 344; haud recte Keilius [343] coniecit). Secundum Plutarchum vero (375, 19—23) Marius postquam utrum cum Octavio an cum Cinna faceret deliberavit Cinnam quia cum improbiorem esse viderat, elegit. Plut. 41, 375, 26—376, 2 si cum Appiano (306) comparas, quod ille a Mario consulto simulata esse dicit, hic e longa eius fuga exilioque deducit (ἔτι!); illudendi causa apud Plutarchum (377, 25) Marius extra urbem stans populum convocat, convocatum vero ante legem datam dimittit, cum apud Appianum (324) tribuni iure rogationem perferant. Mitigavit præterea Appianus crudelitates

quas capta urbe Marius[1]) exercuit ita, ut de Antoni capite a Mario in mensa posito deque interfectore ab eodem in amplexum recepto taceret (App. I, 72; Plut. c. 44; cf. Oros. V, 19, 23; Flor. II, 9, 14; Val. Max. IX, 2, 2). Quod ad Catuli interitum attinet communem fontem Diodorus arguit: Diod. XXXVIII/IX, frg. 4 τεθριαμβευκὼς ἀπὸ Κίμβρων... τοῦτο μενον εἶπε· θανεῖν δεῖ = Plut. 379, 22. 27 συνθριαμβεύσας ἀπὸ Κίμβρων... τοσοῦτο μόνον εἶπε· ἀποθανεῖν δεῖ. Recedit a Diodoro Plutarchus in eo tantum, quod alios pro Catulo orantes facit; Appianus Catulum ingratum fuisse contendens vocemque crudelem ‚ἀποθανεῖν δεῖ' omittens colorem narrationis mutavit (I, 74, § 341, 342). Bardyæi secundum Plutarchum (Mar. 44, pg. 379, 29 sq. = Sert. 5, pg. 92, 24 sq.) invito Mario a Cinno Sertorioque cæduntur, ab Appiano cum Mario omnino non consociantur.[2])

Appiani de Mari morte versio (I, 75, 346) primo aspectu maligna, re vera magis ei favet quam Plutarchea: quippe a Diodori XXXVII, 29, 1. 2. (cf. Schwartz Pauly-Wiss. V, 690) nec non a Posidonii (Plut. pg. 381, 5) et C. Pisonis[3]) (Plut.

---

[1]) cf. § 337 cum Plutarcho pg. 377, 29 — 378, 15; idem Livius (?) Dio XXX—XXXV frg. 102, 8 B. Flor. II, 9, 16 de C. Cæsare nonnulla prætermisit: cf. Val. Max. IX, 2, 2, V, 3, 3; de Bæbio et Numitorio Flor. II, 9, 14 e quo Aug. civ. d. III, 27).

[2]) De Sexto Lucino (45 pg. 380, 11 sq.) quæstionem diiudicare non audeo; fortasse recte Velleius (II, 24, 2) P. Lænatem tr. pl. eum necasse dicit tribuniciumque appellat; inde ad Marium iuniorem, cuius crudelitas nota erat, res translata eque tribunicio tribunus factus est (ita Dio XXX—XXXV 102, 2 qui additis verbis *ὅπερ οὐδεὶς ἄλλος ἐπεπόνθει* tribunum ipsum aperte significat). Denique apud Livium (Per. 80) Plutarchumque pro iuniore Mario pater positus est. Lænatis nomen eo commendatur, quod iure tribuno reum præcipitare licebat (Mommsen St.-R. I³, 146) neque pro homine noto vir ceteroquin ignotus facile introducebatur; Lucinum Luciliumque eundem esse nemo non videt (cf. Linden: De bello Sullano. Diss. Freiburg i. Br. 1896, pg. 28).

[3]) De Pisone illo ignoto (cf. Schwartz l. l.) Kuyperus recte iudicavit (De fontibus Plutarchi et Appiani in vita Sullæ enarranda, Diss. Utrecht 1882, pg. 55) qui vocabulum *ἱστορικός* in suspicionem vocat, sive *ῥητορικός* (ita Kuyper) sive *τιμητικός* (Stephanus cf. adn. crit. editionis Sinten.) mavis. Plane supervacaneum erat auctori laudato appellationem ‚*ἀνὴρ ἱστορικός*' adicere, cum nemo in historia alium scriptorem laudari exspectaret; contra optime, si de non historico agebatur, accuratius Plutarchus eum designabat.

pg. 381, 7) plane discernenda, cum ea comparanda est, quam Plutarchus verbis τινὲς δὲ... φασίν (381, 14) præmissis ab auctoribus nominatim laudatis segregat atque ita ex auctore, cui maximam narrationis partem debet (retractatore fontis x), se hausisse confitetur.

Restat igitur, satis et Plutarchi acerbitate et Appiani excogitata benevolentia in Mari persona tractanda probatis, ut, quantopere hic in factionibus civitatis explicandis peccaverit, demonstremus. Atque de fide eius ante omnes Schwartzius disserens (cf. Pauly-Wiss. „Appianus" II, 222—234; Gött. gel. Anz. 1896, pg. 805 f.; Hermes 1897, pg. 592—607) sagacissime innumerabiles eius errores certo componendi ornandi mutandi studio effectos ante oculos posuit. Quod ut exsequamur, vel neglecta cum ceteris fontibus contentione, Appiani verba diligenter inspicere sufficit.

Quamquam ipse in procemio, (I, 1, 1) bella inter senatum populumque Romanum gesta se operis materiam sibi sumpturum profitetur, statim in Gracchanarum seditionum enarratione lapsus est. Italicorum enim sociorum malis commotus, quos crescentibus divitum agris inopia prolis perire videbat (§ 28, 30, 32, 35) [1]), Gracchus legem illam tulit; quorum causam cum populus (§ 32 δῆμος) qui odio in senatum flagrabat, susciperet, non absurde in capitibus quæ sequuntur, cum divitibus (sc. senatu) pauperes (sc. plebs civium Romanorum, quæ in comitiis, quæ commemorantur, suffragia ferebat) pugnasse dicuntur (πλούσιοι § 29, 38, 46, 51, 58, 60, 63, 65 [l. 19, 25] = δυνατοί 50 = βουλή 67, 69 κτηματικοί 48; πένητες = 29, 39, 40, 47, 63 = δῆμος 50, 51, 53, 55, 59 = πλῆθος 56); quocum consentit quod ei qui e coloniis et municipiis Latinis accurrunt (§ 41) in utramque factionem discedunt. Cur vero § 57, 58, 59 eorum qui ex agris venerant, tam gravis mentio fit? Nonne plebs senatui infesta urbana erat, ei vero, qui ex Italia advenerant, in utraque castra sese

---

[1]) § 43; 53; 56 vox *Ἰταλία* præter vere „Italicos" dictos cives comprehendit.

diviserant, Italicis autem suffragia ferre non licebat? Quamvis nemo dubitet, quin agricolarum plurimum perferri legem interfuerit omnesque a Gracchis steterint, Appiano plane fides abroganda est, quia sive cives sub „rusticis“ illis significat, inepte duos fontes contaminat, sive, quod maiorem ex eis quæ antecedunt, probabilitatem habet, Italicos intelligit, graviter peccat (ita etiam Schwartzius iudicat Gött. gel. Anz. 1896, pg. 800—803). Certe vero ex alio fonte agricolas se inseruisse demonstrat, qua in re antiquam narrationis partem non satis retractavit. Si tamen Gracchorum ætati rusticorum urbanorumque oppositio sat convenit, quamquam ab Appiano male cum narratione contexitur, Saturnini seditioni eam abiudicabimus atque pro mera Appiani repetitione habebimus, præsertim cum pessume a scriptore explicetur erroribusque abundet (cf. supra) et Appiani auctor non solum certo consilio sed etiam artificiis, ut videtur, usitatis totam historiam exornare et contorquere soleat.[1])

Quid, quod deinde (78, 86, 87) Italici legem, quæ secundum Appianum eorum commoda spectaverat, acerrime impugnant, cum populus eam retineat (79, 81, 83, 84), atque lege de civitate danda promulgata allici debent (86), ita ut inde a § 86 Italici et populus (87, 88, 90, 91, 92, 101, 106) senatui (88, 89, 92, 100, 102, 105, 106) inde a § 121 πλούσιοι (121) pauperibus (121, 122 = δῆμος 123) opponantur. Causæ igitur quas ferendæ legi Appianus subiecit (28 sq.) non bene se habent (cf. Schwartz l.l.), quoniam ipsis factis repugnant, quæ cives a Graccho sublevatos esse (cf. 26—27 ubi de agro publico populi Romani, non de sociorum territorio agitur) Italicos autem, quod civium causa ipsi iniuria afficerentur questos esse, pro Italicis denique contra cives Scipionem et pugnasse et cecidisse flagitant. Inde patet male in narrationem optimam Italicos insertos esse, qui præter questus de lege Sempronia, inde a § 152 demum recte

---

[1]) quod Schwartzius monet Hermes 1897, pg. 606 sq.. E primo libro habeo exempla: c. 15 § 65 = 30, 134 *τὰ ἱμάτια διαζωσάμενοι καὶ ξύλα ἁρπάσαντες*; 55, 242 = 64, 289 connexa cum 56, 245 = 64, 289 *κεκρυμμένα ξιφίδια*; suspicionem etiam via sacra bis (59, 264 = 64, 291) commemorata movet.

afferuntur. Quod et in fonte quondam ita se habuisse Appianus præmisso de eis exordio luculenter significat (quid antea dixerit (§ 86. 87) non meminisse videtur in § 152—154; illud οὕτω διελύθη (88) non habet, quo referatur).

Atque retractatoris manus etiam in Livi Drusi tribunatu detegitur Marcksio (Die Quellen zum Bundesgenossenkrieg. Diss. Strassburg 1882) priorem versionem reparante, secundum quam, ut apud ceteros fontes, Livius senatorum amicus equitibus iudicia eripere voluerat[1]) (cuius vestigia remanent in § 157 et fortasse 165). Quæ versio eo depravata est, ut ad Italicos civitate donandos tribunus senatum, ordinem equestrem, populum, quem lege agraria sibi devincire conabatur, conciliasse dicatur. Iure igitur miramur, cur tam strenue Italici ei adversentur, immo cur ab iisdem Italicis tamquam pro populo Romano eis iniuriam intulerit, interficiatur, qui mortem eius tantis lacrimis celebrant (169 cf. 154. cf. Marcks passim) et diserte amici eius dicantur (§ 165.[2]) Atque e retractatoris consilio Italicos ubique inserendi facillime qua de causa lex Varia (165 cf. Marcks pg. 46) Asellionisque interitus (232—239 Marcks pg. 46) non suo loco narrentur, explicatur; scilicet in fonte antiquiore ad senatus ordinisque equestris contentionem lex Varia, ad divitum pauperumque Asellionis seditio, neglecto cum rebus Italicis connexu referebantur, quod § 165 confirmat (καὶ οἱ ἱππεῖς κ. τ. λ.). Animadvertas etiam, quod belli socialis primum annum ita scriptor disponit, ut a singulis Italicorum non Romanorum ducibus narratio proficiscatur[3]): I, 41, 182 Οὐέττιος Σκάτων 183 Μάριος δὲ Ἐγνάτιος

---

[1]) sane etiam in illa de Italicis verba fiebant, nec vero primo loco.

[2]) mortuo enim Druso tandem equites Italicorum propugnatores in ius vocare conantur; aperte autem ei quibus exitus eius prodest, ordinem dico equestrem, eum necaverant; quod cum ceteris fontibus congruit; quomodo vero in Etruscos Umbrosque Appiani auctor inciderit, obscurum est.

[3]) inde factum esse, ut Juli Cæsaris consulis bellum medium dirimeretur, Marcksium effugisse videtur. — Ceterum idem vix recte de pugna apud Aeserniam facta iudicavit (pg. 40 sq., 71 sq.). Etenim eiusdem cladis auctorem fons alter Scatonem (182) alter, ut recte Marcksius, Egnatium (199) nominabat; contaminator autem, quia præter nominum diversitatem etiam iter Cæsaris in

ib. Πρησενταῖος 184 Μάρκος δὲ Λαμπώνιος I, 42, 185 Γάιος δὲ Πάπιος 190 Οὐιδακιλίῳ. Atque auctor ille peritissimus neque a bello Sullano neque ab Octaviano manus abstinuit et ita facta contorsit, ut pro Sulla contra Marium Sulpiciumque, pro Octavio contra Cinnam denuo Italicorum causam suscipientes plebs urbana stetisse diceretur (cf. I 55, 242—244; 63, 283; 64, 287—292).

Quæ cum ita sint, iam sine nimia audacia Appiani in tractando Mario explicandisque civitatis factionibus fides, si ratio postulabit, in dubium vocabitur.

Schwartzi denique vestigia prementibus, ne temere fontes nominibus instruamus in primisque ne ubicunque Posidonium suspicemur (ut Busoltius, Jahrb. f. Philologie CXLI, pg. 341 sq.), cavendum est; de quo usque ad quem annum et ipse historiam produxerit (Unger Philologus LV, pg. 79—86 de anno 86 a. Chr. n. cogitat) et a Diodoro excerptus sit (Schwartz P.-W. s. Diodor V, 690) nondum compertum habemus. Ceterum paucissima Diodori (XXXVI frg. 12, 15, 16) de Saturnino fragmenta, bene a Busoltio tractata (l. l. 344), neque cum Plutarcho neque cum Appiano congruunt. Ex eo vero quod Rutilium Rufum Plutarchus affert de Posidonio non cogitandum est. Tam male enim cum Plutarchi narratione totus ille locus cohæret, ut sine dubio postea insertus sit, neque præcipuum fontem indicare possit. Rutiliana verbis τῆς ὑπατείας λαβεῖν finiuntur, quia locus de Valeri Corvini consulatibus Mari gloriam prædicat ideoque a Rutilio alienus est. Sed fortasse iam antea cum eo coniuncta a Plutarcho falso inserta sunt, cum melius, si minus antea, at certe post προιέμενος 360, 3 starent, quoniam verbis εἰσέφερε νόμους (360, 11) Plutarchus iam de anno 100 loquitur. Fons vero principalis, postquam

---

§ 199 fusius et aliter describebatur, de eadem pugna agi non sensit; at hic et illic consul refecto exercitu (188 *προσλαβόντος κ. τ. λ.* 200; Teani secundum 199) Acerras petit (188. 200 Orosius igitur non ut Marcks vult [pg. 40. 41] explicandus est). Prope Aeserniam etiam secundum § 183 moratus est Egnatius; itaque fortasse iunctis cum Scatone copiis, qui cum solus Cæsarem ne Aeserniam in traret,prohibere non potuisset (cf. Liv. Per. 72. 73, Marcks pg. 42. 72. 80) eundem solus devincere vix poterat, Egnatius consulem fugavit antequam Venafrum cepit, quod oppidum viam inter Aeserniam Teanumque claudit.

(360, 9—13) Mari cum Saturnino „coniurationem“ rettulit, quæ de Saturnini vita ante tribunatum nota erant, repetiisse (360, 26. 27) videtur (360, 27): Plutarchus vero, ut narrationem Rutiliano loco inserto turbatam restitueret, sententiam ineptam cum durissima subiectorum mutatione posuit (360, 25 ἐφθονεῖτο - ἦν - ἐπῆγε; fons ita se habebat: καὶ κατεστασίαζε τὸν Μέτελλον. Οὗτος ὁ Σατορνῖνος καὶ πρότερον πολλὰ ἐξημάρτανεν, ὧν ἦν ὁ Νωνίου φόνος κ.τ.λ.).

II. DE IUSTO RERUM GESTARUM ORDINE AC TEMPORE.

Ut in rebus gestis annorum 102—100 a. Ch. n. iuste ordinandis a solido fundamento proficiscamur, primum externarum rerum tempora, quoniam internas scriptores incuriose definiunt, consideranda sunt.

Atque initium faciamus a pugna apud Vercellas commissa, cuius diem Plutarchus indicat vit. Mar. c. 26, pg. 357, 27: ‚ἅτε δὴ καὶ μετὰ τροπὰς θέρους τῆς μάχης γενομένης, ἃς ἄγουσι Ῥωμαῖοι πρὸ τριῶν ἡμερῶν τῆς νουμηνίας τοῦ νῦν μὲν Αὐγούστου, τότε δὲ Σεξτιλίου μηνός‘ quibus verbis, minime explicatis, diem a. d. III Kal. Aug. re vera pugnæ assignari sed Plutarchi neglegentia ad solstitium relatum esse viri docti[1]) præter Nissenum (Rhein. Mus. XL, pg. 330; cf. Soltau: Röm. Chron. pg. 58) consentiunt atque illud „post solstitium“ eo consilio additum esse putant, ut lector Græcus fastorum Romanorum computationis ignarus tamen de media æstate acerrimoque calore cogitaret.

Atque certe cum nostro loco comparare licet Plut. Camill. 19, I, pg. 270, 5: ἐγένετο δ' ἡ μάχη (sc. pugna Alliensis a. d. XV. Kal. Aug. commissa) μετὰ τροπὰς θερινὰς περὶ τὴν πανσέληνον κ. τ. λ., quamquam minus a vero solstitii die Plutarchus (a. d. VIII Kal. Jul. secundum fastos Julianos) hoc loco aberrat.[2])

---

[1]) cf. Mommsen: Röm. Gesch. II[8], 186; Müllenhoff: Deutsche Altertumskunde II, 144; Holzapfel: Röm. Chronol. pg. 314, 2; Niese: Abriß der röm. Gesch.[3], pg. 161.

[2]) etiam Cæs. c. 37 III, pg. 400, 32 *χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος, ἱσταμένου Ἰανουαρίου μηνὸς . . . . . ἀφῆκεν* (sc. Cæsar) *εἰς τὸ πέλαγος* solstitium fortasse de suo addidit. Quippe cum re vera de ineunti mense Novembri ageretur (cf. ad

Firmius autem argumentum Wissowa (Religion u. Kultus d. Römer, pg. 211, Adn. 6) addidit, qui cum loco Plutarcheo Mar. c. 26, pg. 357, 8 εὔξατο δὲ καὶ Κάτλος ὁμοίως ἀνασχὼν τὰς χεῖρας καθιερώσειν τὴν τύχην τῆς ἡμέρας ἐκείνης' fastos Allifanos (C. I. L. I², pg. 217, cf. pg. 323) componit, Fortunæ Huiusce Diei diem festum in a. d. III Kal. Aug. collocantes.[1])

Cum quando triumphus de Teutonibus et Cimbris actus sit, erui nequeat,[2]) in incerto relinquitur, quando Marius e bello

---

Cæs. bell. civ. III, 6 Unger: Chronologie[1] pg. 595: pridie Non. Jan. a. 48 = a. d. VIII Id. Nov. 47), fontes Plutarchi solstitium certe non e rerum scientia, vix omnino, commemorabant.

[1]) Optimo iure Fredericus Muenzer hic respicienda esse censet verba Flori I, 38, 20 (III, 3): ... *frequensque in spectaculo rumor victoriæ Cimbricæ* (desunt nonnulla) *quod in gladiatorio munere fieri solet, feliciter dixit .... populus in urbe plaudebat.* Idem me monet, situm templi Fortunæ Huiusce Diei certius definiri posse. Verba *„in campo"* (C. I. L. I², pg. 217) interiecto lineæ spatio a ludorum commemoratione secernuntur ideoque cum eis non coniungenda sunt. Catulum in templo Fortunæ H. D., quod Æmilius Paullus voverat (cf. Plin. N. H. XXXIV, 60), signa deposuisse e Plinio (N. H. XXXIV, 54) compertum habemus: erat autem templum Fortunæ H. D. in Palatio, de cuius ætate nihil constat (cf. Plut. de fort. Rom. 10, pg. 322 F.; Richter, Topographie der Stadt Rom² pg. 142). Cum vero in Palatio porticum Catulus condiderit (Cic. de domo 102. 107. 114—116; Sueton de gram. et rhet. c. 17, pg. 113; Richter Topogr.² pg. 142 sq.) areamque Flacci ibi sitam secundum Valerium Max. VI, 3, 1 *„ædificiis ornaverit"*, non frustra in eodem loco ædem ab eodem, ut videtur, renovatam investigabimus. Atque optime se habet, quod Catuli popularium odio flagrantis (Val. Max. VI, 3, 1: Flacci area Gracchorum interitum in spectantium memoriam revocabat.) duobus in Palatio ædificiis, *Mari*, ut dicuntur, *monumenta* in Capitolio Palatinum versus exstructa respondent (de quibus cf. Richter Top.², pg. 120; Jordan Topographie der Stadt Rom I, 2 pg. 44 II, 517 sqq. Val. Max. VI, 9, 14: qui plurali numero de tropæis locutus inter belli Jugurthini et Cimbrici neque inter loca, ubi condita erant, distinguere videtur.). De templo Honoris et Virtutis, quod Marius vovit (C. I. L. I² pg. 195 El. XVII. XVIII Cic. pro Sestio 116; de div. I, 59; Wissowa Rel. u. Kultus d. Römer pg. 136 Adn. 2), nihil præterea constat: certe vero cum eius die festo, qui idem Castorum erat, (cf. C. I. L. I², pg. 308 ad a. d. VI Kal. Febr. pg. 319, Wissowa l. l. pg. 136. 216, Adn. 7; agebatur autem Idibus Juliis) ea cohærent, quæ apud Florum I, 38, 19 sq. (III, 3) et Plinium (N. H. VII, 86 loco mutilo) de Castore et Polluce victoriæ nuntiis legimus.

[2]) Testimonia cf. C. I. L. I², pg. 195 El. XVII. XVIII pg. 177. Per. 68; Plut. Mar. 27. 44. Val. Max. III, 6, 6; VI, 9, 14; VIII, 15, 7; IX, 12, 4 auct. de vir. ill. 67, 2; Oros. V, 16, 22 Plut. Cæs. 6; de fort. Rom. 4, pg. 318 C. Diodor

redierit. At testante Livio (Oros. V, 17, 3, Per. 69),[1]) quem adiuvat Val. Max. IX, 7, 1, — Appianus enim aperte errat,[2]) — comitiis tribuniciis Marius interfuit. Quæ secundum Mommsenum (St.-R. I[3], 585, 4) exeunte mense Quinctili aut ineunte Sextili habebantur: sed præter locos certissimos ætatis Ciceronianæ unum Appianum I, 14 § 59 affert (Kornemann: Zur Gesch. d. Gracchenzeit, pg. 51, 5), quem rusticos tam inconcinne induxisse vidimus. Atque facillime, cum hostes Italiam invasissent et tot cives in armis essent, fieri potuit, ut in reditum exercitus differrentur[3]) (de comitiis anni 91, cf. Marcks Quellen z. Bundesgenossenkrieg, pg. 16, 3).

XXXVIII/IX, 4, 2; Narratiuncula apud Plin. N. H. XXXIII, 150 = Val. Max. III, 6, 6 (cf. Münzer, Quellenkritik des Plinius, pg. 117) fortasse ex eo depravata est, quod Mario crimini dabatur, eum ex ipsius Liberi sacris cantharis sive in triumpho, sive in dei die festo potavisse.

[1]) Licet falso Marium in interficiendo Nunnio Saturnini ministrum dicat. Lacuna, quæ apud Florum (II, 4, 1) post verba *„consulatu suo præterea confisus“* exstat, ita fere supplenda est: <*auxilium pollicitus est*> vel < *milites ad perferendas leges præbuit.*>

[2]) I, 28 § 126 *Σατορνῖνος φυλάξας στρατηγοῦντα Γλαυκίαν καὶ τῆςδε τῶν δημάρχων τῆς χειροτονίας προεστῶτα.* Sive absentibus consulibus, (cf. Mommsen St.-R. I[3] 141, 1; II[3] 278, 2) sive semper prætores comitiis præfuisse Appianus censet, falso a. 101 prætorem Glauciam dicit, qui a. 100 prætura fungebatur, ut docent: C. I. L. I[2], 195 El. XVII. XVIII Oros. V, 17, 4; Cic. Cat. I, 4 III, 15 Phil. VIII, 15 pro Rab. 20 Brut. 224 Schol. Bobb. 347 Or. Val. Max. III, 2, 18 auct. de vir. ill. 67, 3; 73, 9; atque ipse App. a. 100 (I, 32 § 145) Glauciam *στρατηγόν* appellat: Aut igitur duos fontes contaminavit, e quibus alter Glauciæ præturam anno 101 (fortasse consulatum anno 100 cf. ea, quæ de annalium scriptore diximus pg. 31; auct. de vir. ill. 73, 2 in anno 101 [pg. 31,3] de Saturnini in amicum Glauciam prætorem coercitione [cf. Mommsen St.-R. I[3], 139, 3, 4; 160, 2 Dio Cass. XXXXII, 23] qualia vel remoto anni errore vix creduntur, narrat), alter recte anno 100 tribuebat. Aut fons Appiani, ut connexum inter Saturnini creationem et Nunni cædem institueret et præterea Marium excusaret popularesque accusaret, præturam priorem finxit, (Ziegler, Fasti tribunorum pg. 28) alteram, ut in magistratu Glaucia occideretur, retinuit. Coniectura Niemeyeri (Jahrbücher f. Phil. u. Päd. 149, 1894, pg. 71) per se non probabilis, iis, quæ de Appiani indole exposuimus, refutatur.

[3]) Inter primum et alterum comitiorum diem, si recte Val. Max. IX, 7, 3 et Appianus I, 28 § 128 primo die non omnes tribunos creatos esse traduut, longius intervallum non intercedebat (cf. pg. 59 de comitiis consularibus; pg. 62,3).

Sed ad belli casus redeamus eosque inde ab anno 102 repetamus: secundum Plutarchum igitur anno 102, οὐ πολλαῖς ἡμέραις (c. 22, pg. 353, 7) postquam consulem se creatum esse audivit, Marius Romam arcessitus est a legatis, qui Catuli cladem referebant; statim profectus est (c. 23, p. 354, 19) communicatisque cum senatu, quæ maxime urgebant, in Galliam cisalpinam properavit. Designationis nuntius, si recte virorum doctorum sententia de comitiorum consularium tempore sese habet[1]), non ante Idus Nov. ad exercitum pervenit, ita ut legationi ultimi mensis Novembris dies relinquerentur, nisi aperte Plutarchus a vero aberraret. Præterquam enim propter victoriam sine dubio Mario consulatus contigit, Catulus consul, cuius clades etiam secundum nostrum auctorem comitiorum tempore nondum nota erat, ipse Romæ comitia habere debuit (cf. Staatsrecht I[3], 582, II[3], 80 A 7, Marcks l. l. pg. 51, 4. 72). Quæ si concedimus, neque intra paucos dies eius reditum et fugam nuntiique iter includere licet, neque omnino ante eius discessum Cimbros Italiam intravisse probabile est. Sic enim usque ad Mari victoris reditum patres comitia distulissent[2]) neque Catulum, qui per totam æstatem hostes exspectaverat, ipso momento, quo advenerunt, avocassent. Cumque Cimbri prima nive (Plut. 23, pg. 353, 22; Orosi V, 16, 14 verba „*nives emensi*“ de tempore nihil indicant) vel hieme (Flor. I, 38, 11 = III, 3, 11)[3]) Alpes transgressi sint atque de Catulo tamquam pro consule Periocha 68 loquatur[4]), hostes in

---

[1]) cf. Mommsen St.-R. I[3], 583, 2; Holzapfel l. l. pg. 313, 1, 2; Soltau: Röm. Chronologie, pg. 57 sq.; Unger pg. 642.

[2]) Quamquam, ne se ipse consul renuntiaret, lege prohibebatur, a. 103 Marius comitiis, in quibus creatus est, præerat (Plut. Mar. 14, pg. 343, 24; Mommsen St.-R. I[3], pg. 500 A 1).

[3]) fortasse e Livio; Müllenhoffius II, 138, ut suam coniecturam probet, Flori fidem in suspicionem vocat; cf. Neumann: Gesch. Roms während des Verfalls der Republik I, 373.

[4]) Falso quidem Per. 76 Cn. Pompeium Strabonem (Marks pg. 83), Oros. V, 15, 25, Cæpionem (Müllenhoff II, 295, 2) pro consulibus nominant; qui errores non satis valent, ut etiam nostro loco (Per. 68) fidem abrogent. Annum 102 Neumann l. l. I 373, Ihm Pauly-Wiss. III, 2549 præferunt. — Secundum Plin. N. Hist. XXII, 6, 11 Marius cum Catulo consule copias iunxit; sed error, in una voce „cos.“ positus, facillime irrepere potuit.

superiorem Athesis vallem irruptionem exeunte Novembri aut ineunte Decembri, Catulum receptum initio anni 101 fecisse ponemus. Marius igitur comperta extremis Januari diebus Catuli fuga peractisque festinanter Romæ negotiis, ineunte Martio cum Catulo convenisse arcessitisque celeriter e Gallia Narbonensi copiis, quæ appropinquante vere montes commode transgredi poterant, exeunte Aprili bellum Cimbris intulisse magnopere commendatur; cui coniecturæ Plut. Sulla IV non obloquitur. Verba vero Plutarchea ‚οὐ πολλαῖς ἡμέραις' e scriptoris (Posidoni secundum Müllenhoff II, 137) consilio res tragicorum more ornandi, quod manifesto, testante Cassio Dione (XXVII frg. 94 Bois.), in capite XX (pg. 352, 17—31) deprehenditur, explico. Cur autem non statim post pugnam Teutonicam cum Catulo exercitum Marius iunxerit, e tempore victoriæ apparet, quam paullo ante comitia consularia (inter Id. Sept. et Kal. Nov. fortasse) Plutarchus atque Dio collocant. Ne loco Orosiano (V, 16, 11) de sole illo die acerrimo adducti mediam æstatem præferamus (ita Mommsenus Röm. Gesch. II [8], pg. 184), primum Plutarchi in ubera narratione silentium, deinde pugnæ Cimbricæ similitudo [1]) monent. Quocum consentit, quod, postquam Teutones, qui initio eiusdem anni 102 [2]) septentrionalem aut mediam Galliæ partem tenuerant, tandem in conspectum Romanorum venerunt,

[1]) Acrem pugnæ Cimbricæ æstum gravissimi testes Catulus (Plut. Mar. 26, pg. 358, 2 sq.) et anni tempus probant recteque Plutarchi narrationem a Liviana discrepantem Müllenhoff (II pg. 133 sq.) præfert. Quamquam fortasse ex eodem fonte primario pendet (Müllenhoff II 149); Livi auctor pro calore, quem in pugnam Teutonicam transposuit, dolum Mari e pugna Cannensi petitum (cf. Oros. V. 16, 14; Flor. I, 38, 15 [III, 3, 15] Front. strateg. II, 2, 8) introduxit; inconsulte, quoniam mensis Juli in planitie Galliæ cisalpinæ dies nebulosus suspicionem movet.

[2]) Recte Müllenhoff (II, 289. 295. 299) et Ihm (Pauly-Wiss. III, 2549) Plutarchum (Mar. 14) et Periocham 67 comparantes Cimbrorum ex Iberia reditum veri a. 103 coniunctionemque cum Teutonibus factam eiusdem anni autumno, consilium vero in Italiam irrumpendi initio anni 102 tribuunt. Aliter Neumann l. l. I, pg. 365. Fossas Marianas (cf. Vell. Pat. II, 12, 3) contra Plutarchi sententiam (c. 15, pg. 344, 12 sq.) anno 102 exstructas esse omnes recentiores negant (Neumann l. l. 363; Müllenhoff II, 123; Niese: Abriss d. röm. Geschichte [8] pg. 161).

longam ducis cunctationem milites increpuerunt (Plut. Mar. 16, pg. 345, 27 sq.; Front. Strateg. I, 11, 12). Haud multum igitur ante comitia sive iam præsente, sive in itinere morante Catulo nuntius victoriæ apud Aquas Sextias reportatæ Romam advenit.

Definitis, quantum licuit, externarum rerum temporibus internarum inserenda sunt. Atque statim in capite Valeri IX, 7, quod primo adspectu iustum ordinem rerum servare videtur, Equiti abductio ante tumultum in Metellum factum narrata non convenit, quia Marius V consul, paucis mensis Januari (? cf. supra pg. 54) diebus exceptis, post pugnam Cimbricam demum, paullo ante comitia Romæ aderat, cum contra ante lustrum a censoribus Q. Metello Numidico et C. Metello Caprario (cf. C. I. L. I², pg. 36; Vell. II, 8, 2) conditum narratiuncula IX, 7, 2 ponenda esset. Lustrum autem illo anno tempore legitimo i. e. exeunte mense Maio (Mommsenus St.-R. II³, 352 sq.) conditum esse propterea constat, quod et a censoribus proximis, qui anno 98 magistratum inierunt et anno 97 lustrum condiderunt (C. I. L. I², pg. 27), spatium lege sancitum servari debebat et longius solito a censura antecedenti intervallum (de censoribus a. 108 nuper disputavit F. Münzer Rhein. Mus. 1906, pg. 19 sq.) festinationem commendabat.[1]) Quibus de causis narratiuncularum ordo mutandus est; quæ res eo confirmatur, quod ipsam illam Metelli recusationem[2]) Marius in animo habuisse videtur, cum in

---

[1]) Secundum Mommsenum (St.-R. II³, 345 sq.) septimo a. u. c. sæculo, quamquam nonnumquam lustrorum intervallum extendebatur, semper post maiora spatia lustra legitima inveniuntur: cf. annos 600–607—612; 612–618—623.

[2]) Si accurate fontes inspiciuntur, illud tantummodo Metellus recusabat, ne Equitium tamquam C. Gracchum in censum reciperet (Val. Max. IX, 7, 2. Idem Sempronіæ testimonium significat Val. Max. III, 8, 6 vir. ill. 73, 4; cf. etiam Elogium Metelli C. I. L. I², pg. 196a Mommseno restitutum, vir. ill. 62, 1 Cic. pro Sest. 101). Nihilominus eo anno sub falso nomine tribunatum petebat (Val. Max. IX, 15, 1; IX, 7, 1; Flor. II, 4, 1). Quid autem, si anno insequenti tamquam L. Equitius? (cf. Val. Max. III, 2, 18). Ciceronis locus pro Rab. 20 non obstat. Appiani [I, 32, 141. 146] testimonia, in universum recta, urgere non licet. Ne nimium scriptorum odio concedamus, cavendum est: Cic. pro Rab. 20 (cf. pg. 20) servum eum dicit; Flor. II, 4, 1 hominem sine tribu, sine nomine; vir. ill. 73: libertum, App. I, 33, 141: *δραπέτης εἶναι, ‚νομιζόμενος‘*; Val. Max. IX,

Equitium sub nomine falso tribunatum petentem cœrcitione (Mommsen St.-R. I³ 141, II³ 278, 2) animadverteret.[1])

Quæstio, quo anno Saturninus quæstura[2]) functus sit, cum illa de eiusdem primo tribunatu ita cohæret, ut terminum ante quem hic præbeat; sed neque temere e Diodoro (frg. 12) nullum inter magistratus spatium intercessisse colligere licet,[3]) neque omnino annus primi tribunatus ultra dubitationem fixus est. Plerique cum Plutarcho (Mar. 14, pg. 343, 25 sq.) de anno 103 cogitant,[4]) alii vero de anno 102 (Mommsen St.-R. I³ 523, 2; Drumann-Gröbe II², pg. 31).

Consultantibus fontium auctoritatem Appianus quidem, qui narrat (I, 28, 126), quomodo Metellus censor in legendo senatu, ut Saturninum ἤδη δεδημαρχηκότα eo moveret, studuerit, prout in anno 102 aut 101 lectionem collocamus, annos 103 atque 102 aut annum 103 solum intelligere permittit. Quocum consentit Diodorus, qui de Saturnino, quod regis Mithradatis legatos violasset,[5]) reo facto populique studio liberato et iterum tribuno creato tradit. Nunc si recte comitia tribunicia, quibus iterum creatus est, proxima post legationem illam fuisse e Diodori verbis (XXXVI frg. 15) concludimus et re vera in ipso tribunatu

---

15, 1 conviciis exsultat. At, cum nomen eius publice constaret (C. I. L. I², 196 El. 19 Val. Max. III, 2, 18; IX, 7, 1; 15, 1 vir. ill. 62 „Quinctius") et patria eius Firmum Picenum (Val. Max. IX, 15, 1) colonia latina iuris minoris (Mommsen St.-R. III, 639 sq.; Kornemann Pauly-Wiss. IV, 515 No. 22) facultatem adipiscendi offerret, civitatem Romanam profecto habebat (cf. Mommsen St.-R. I³, 488, 2).

[1]) Petitionis exclusionem, quamvis lege hac de re nihil constitutum sit. Mommsenum secuti (St.-R. I³, 502. 503, Adn. 1) proxime ante comitia collocabimus.

[2]) Mommsenum secutus nummos, in quibus Luci Saturnini nomen exstat, tribuno plebis abiudicat Babelon Monn. Rép. I, 207.

[3]) quod faciunt, qui ab anno 103 profecti in annum 104 incidunt: Klebs Pauly-Wiss. II, 262; Mommsen St.-R. II³, 571, 1; 672, 2; III, 862, 2; cf. Neumann l. l. 366. 410; cautior Ziegler Fasti tribunorum plebis 133—70 Beilage z. Programm d. Kgl. Gymnasiums zu Ulm 1903, pg. 12—14, qui inter annos 108—104 dubitat).

[4]) testimonia cf. in Adnot. 3.

[5]) Strafrecht 45; 665, 3.

Saturninus non accusatus est,[1]) ita res se habet: Si spatio ab a. d. IV Id. Dec. anni 102 usque ad comitia tribunicia anni 101 legationem[2]) atque accusationem tribuimus, priori tribunatui anni 103 aut 102 reservantur, si inter comitia tribunicia anni 102 et a. d. IV Id. Dec. anni 102 eas ponimus, de uno anno 103 cogitari potest. Auctor ignotus denique, ut supra vidimus, annum 101 priori tribunatui vindicat.

Atque optimo iure Plutarchi testimonium viri docti non reiecerunt, a quo non abhorrent verba Per. 67 *„quartum consulatum* [Marius] *dissimulanter captans consecutus est“*, quæ consulis et tribuni occultam pactionem designant. Licet Rutili, vel alius auctoris odio narratiunculam adscribas, Mari ætate inventa esse et facto, quod illo anno Saturninus tribunus erat, niti videtur. Fontis vero ignoti error et ita explicatur, ut in universum facilius quam distrahi singulos tribunatus conseri potuisse arbitremur, aut inde fluxit, quod, cum anno 100 tribunus III refectus esset, continuationis crimen utique non vitavit et cum Graccho in hac re, sicut in rogandis legibus (cf. Florum), comparatus Gracchi tres tribunatus continuatos falso ad se attraxit.

Saturnini interitum denique omnes scriptores comitiis consularibus anni 100 adiungunt; quæ quoniam mense Novembri haberi solebant, Appianus, qui a. d. IV Id. Dec.[3]) Equitium atque, ut e narrationis progressu apparet, etiam Saturninum sodalesque interfectos esse narrat (I, 33, 146), fide non indignus esse videtur.[4]) Attamen viri docti locum auct. de vir. ill. 73, 10 *„maximoque*

---

[1]) cf. Mommsen St.-R. I³, 289, 2, II³ 298, 2; Strafrecht 352, 1.

[2]) legationis tempus e Saturnini tribunatu concludentes, Reinach Mithridate Eupator, pg. 96; 97, 1 et Neumann l. l. 415 anno 103 eam assignant.

[3]) Ne eo, quod Appianus iam c. 32, 141 tribunatus initium pro designatione commemoravit, (*ὁ Ἀπουλήιος ... τρίτον ἐδημάρχει καί τις αὐτῷ συνῆρχε κ. τ. λ.*) permoti comitia consularia post a. d. IV. Id. Dec. ponamus, non solum App. I, 33, 146 et Val. Max. III, 2, 18, sed, quod maioris momenti est, eiusdem similis error in capite I, 22 detectus (de quo cf. Meyer, z. Geschichte d. Gracchen l. l. pg. 95, 4) monent. Coniecturam igitur, quam Bardey (pg. 14 sq.) de Appiani computatione profert, non accipiemus.

[4]) cf. Klebs P.-W. II, 267; Ziegler l. l. pg. 14.

æstu (lectio probatur a Wijga De viris illustribus liber adnot. crit. ad l.) *incisis fistulis in deditionem accepit*" contra attulerunt adscitis Plutarchi (30, 363, 1: εἷλε δίψει) Appianique (I, 32, 144: ὑπὸ δίψης ἀπολλύμενος) verbis. Quæ re vera, si recte unum tantummodo diem obsessioni concedit Cicero, (in Cat. I, 4)[1]) mensem Novembrem aut Decembrem excludunt, quoniam fasti illorum annorum a veris non multum aberrabant.[2]) Quam discrepantiam ut conciliaret, in media æstate comitia collocavit Bardey (l. l. pg. 14); quod paucis probabit. Sed Ciceronis, qui senatum, ut quam celerrime aliquid in Catilinam statuat, exemplis temporis antiqui incitat, etiam quæ pluribus diebus facta erant, in unum contrahere multum intererat. Et omnino tot res gestas intra spatium exiguum comprimere noluerim. Si autem per nonnullos dies seditionem Capitolique occupationem extensam esse concedes, neque fistularum incisionem neque obsessorum sitim vel mense Decembri collectam miraberis. Etiam illud tenendum est: si, quo die tribuni magistratum inibant, seditio et orta et repressa esset, quoniam Ti. Gracchi exemplum præsto erat, eius rei mentionem expressam non desideraremus; quæ, si cum extremo seditionis die a. d. IV Id. Dec. aequandus est, facilius neglegebatur. Inter comitia Saturninique interitum tres vel quattuor ponentes hebdomadas, quibus contiones[3]) habebantur, a vero haud multum aberrabimus. Capitoli occupatio vero secundum Appianum quidem (32, 143) comitia statim secuta est: at, quoniam antea Saturninum rusticos accivisse contendit, semet ipse refutat et alia via illa ἐπιοῦσα ἡμέρα, profecto non e nihilo

---

[1]) pro Rabir. 31 et Phil. VIII, 15 „*illo die*" pro simplici „tum temporis', usurpatur.

[2]) cf. Unger Chronol. Iv. v. Müllers Handbuch I[1], pg. 642; Holzapfel: Röm. Chron. 312 sq.; Soltau: Röm. Chron. 57 sqq.

[3]) Cic. de har. resp. 51. Oros. V, 17, 6; Plut. c. 30 init. de Mari dubia fide.

[4]) Recte E. Meyer: Untersuchungen zur Geschichte d. Gracchen, pg. 107, Adn. 1 et Kornemann l. l. pg. 12, Adn. 2, Plutarcho in eo obloquuntur, quod C. Gracchi seditionem non intra unius diei terminum contineat. Nullo autem iure inde argumentum petitur, quod in rebus gestis anni 100 explicandis adhibeamus.

ficta, explicanda est (quod Ziegler l. l. pg. 14 monet, iamiam a Bardey l. l. pg. 14 redarguitur). Atque si, ut Appianus docet, (c. 32, 142) primis comitiis alter solum consul (Antonius) creatus est, proxima comitia eo, qui secutus est, die habita esse[1]) sub verbis ἐς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν fortasse latet. Plane autem in incerto relinquitur, quantis intervallis senatus consultum a comitiis, consulum delectus a senatus consulto (cf. coniurationem Catilinariam), pugna a delectu, a pugna cædes distinguantur.

---

[1]) mos erat, ut nisi forte religio vetabat, proximo die iterum comitia haberentur; cf. Mommsen St.-R. III, 416, 2 Liv. XXII, 35. XXXVII, 47.

III. QUÆSTIUNCULÆ AD HISTORIAM ANNI 100 PERTINENTES.

1. De anni 101 tumultibus.

Quæstio de factis, quæ graviorem anni 100 seditionem tamquam proœmium antecedebant, eis quæ disputavi, absoluta esse videtur nec nisi pauca de Mari cum Saturnino amicitia et de Equitio addenda sunt. Quamquam, ne fontium auctoritati, qui persæpe ex eventu in tempora priora sive amicitias sive odia transponunt, nimium tribuamus, cavendum est, tamen lex a. 103 lata (cf. pg. 63), qua milites Mariani agros accipiebant, iam tum Mari negotium a Saturnino actum esse confirmat (Plut. Mar. 14, pg. 343, 26). Nec non recte Mari in Metellum odium[1]) e bello Jugurthino deducitur, etiamsi eum criminando Metellum ad consulatum ascendisse negas. Deinde altercatione cum Catulo orta acrius cum toto senatu conflixit (Plut. Mar. 26. 27) atque odium augebatur, quod optimates Metellum candidatum ei opposuerunt, fortasse non adeo ipsum, cuius consulatus certus videbatur[2]), præteritum iri sperantes quam, ut collega strenuus ei daretur, studentes (Plut. 28, pg. 360, 17). Itaque præter Marium

---

[1]) Sall. Jug. 64, 1—4; 86, 5 Plut. Mar. 7. 8. 10. Dio XXVI, 89, 1—3 auct. de vir. ill. 67.

[2]) Vell. II, 11, 1. Ne Plutarchi quidem fons Mario infestissimus hoc loco Rutilio Rufo (p. 358, 14) fidem habet, quamvis *τὰ μὲν ἄλλα φιλαληθὴς ἀνήρ* prædicetur; e Rutilio fortasse Livius hausit (cf. pg. 29). Florus, II, 4, 1: *„consulatu suo præterea confisus“* consulatum futurum significat.

Valerius Flaccus, homo debilis, est designatus, quem populares adiuvasse in aperto est.

Appiani narratio, quæ certo consilio acerrimum Metelli inimicum fuisse pro Mario Saturninum dicit (§ 126. 127. 138. 139. 141), originem cepit e nota a Metello censore Saturnino ascripta (Cic. pro Sest. 101, cf. de domo 87); quam ita Appianus exaggeravit, ut et Glauciam adderet et maiora Metellum temptasse contenderet. Adiecit, cur tamen eis abstinuerit, explicationem, quæ fictionem sapit, quoniam Metelli collega consobrinus Metellus Caprarius erat (cf. pg. 55, Ziegler l. l. pg. 28). Locus Orosi V, 17, 3, primum Saturnini tribunatum, quem adhibita Periocha statuimus, in dubitationem adducere possit, siquidem ex mente scriptoris significari videtur Saturninum tribunum, non privatum, Metellum aggressum esse, idque statim dimissis comitiis censoriis, si verba premere licet. Cum vero hæc parum certa sint, Valerium audiamus, (IX, 7, 2; 15, 1) qui non repugnante Orosio idem factum (nam de duabus in Metellum seditionibus, altera Saturnini, altera Equiti nemo cogitabit, præsertim cum Val. Max. IX, 15, 1 Saturninum afferat) in Saturnini tribunatu primo collocat: cum quo secundum fontem ignotum annus 101 æquandus est. Quin Equitium Saturninus strenue adiuverit (adde Flor. II, 4, 1, Val. Max. III, 8, 6 vir. ill. 73, 3), ut nomine eius ad rogandas leges Gracchanarum æmulas uteretur, non dubitandum est, sed etiam monendum, post Mari coercitionem eum a Saturnino derelictum esse. Neque enim Marius contra voluntatem Saturnini, quocum arte coniunctus erat, in Equitium animadvertisset neque hic, si præter magnam partem populi (IX,7,1) etiam Saturninus eiusque factio ei favissent, anno 101 præteritus esset (comitiis anni 100 demum creatus est cf. App. I, 32, 141).

Comitia tribunicia anni 101 nihilominus turbabantur, interfecto Nunnio[1]), cuius cædem Saturnino[2]) omnes auctores crimini

---

[1]) Nomen dubium secundum adnot. crit. ad App. I, 28, 127. Prævalet forma Nunnius (Oros.: Nunius; Flor: Ninnius; Val. Max. IX, 7, 3 Nunnium et Ninnium; Epit. Parid. Nunnius; Per. 69 Nunnius; vir. ill. 73, 5 „Nummio" et „Mummio") cui græce *Νόννιος* respondet. Nomen haud ignotum (C. I. L. VI,

dant. De ratione ita ambigunt, ut Appianus (28, 127. 128) iniuriam a Nunnio ducibus popularium inlatam minasque intercessionis, ceteri vero (Oros. Per. auct. de vir. ill. 73, Val. Max. IX, 7, 3) et idem Appianus in § 128, paullo occultius, ipsius Saturnini creationem causam cædendi Nunni fuisse velint. Eligendi facultatem, quoniam ambæ lectiones stare nequeunt, Appianus præbet, qui alteram ipse notat tamquam rei publicæ consuetudinem neglegentem (οἱ περὶ τὸν Γλαυκίαν ,οὔπω τοῦ δῆμου συνελθόντος' ἅμ' ἕῳ χειροτονοῦσι δήμαρχον τὸν Ἀπουλήιον) falsamque Glauciæ præturam exhibentem; quia facilior erat intellectu et Saturnino infensior, omnes fontes occupavit.[1]) Nec spernendum Diodori testimonium, quo certam Saturnini designationem fuisse docemur; quæ res etiam ita accipienda est, ut Valerio non omnes primis comitiis[2]) creatos esse tribunos concedamus, dummodo Saturninum ab alteris excludamus. Fortasse re vera Nunnius, cum ultimum, qui restabat, locum peteret, occisus est; quod opposito Saturnino ipso apte exornabatur. De Mari culpa, quam Livius et Plutarchus adumbrant, Appianus consulto tacet. Quo iure accusatus sit, nobis discernere non licet; profecto vero illo tempore a popularibus stabat. Facinus non præmeditatum esse, sed a plebe infima instigante Saturnino, quem Nunnius arroganter tactaverat, perpetratum esse videtur.

23163—75; X 5357; 5501; 5744; 6738; XI 1355; 4379) a Græcis cum familia notissima Noniorum (Plut. *Νώνιος* App. *Νώνιος* (*Νόνιος*)), ab aliis cum Ninniis (L. Ninnius trib. pl. a. 58 Cic. post red. sen. 3 de domo 125 pro Sest. 26. 68 Dio Cass. XXXVIII, 14) confunditur.

[3]) Bardey l. l. pg. 26 falso Equiti tribunatu adductus, ei culpam cædis tribuere vult. Florus (II. 4,1) comitiis Equitium implicans sive fontis ignoti opinionem servavit, sive, quod magis placet, ordinem factorum in breve contractorum turbavit.

[1]) Narratio de Nunni fuga apud Valerium cum falsa, apud Appianum eum recta cædis explicatione componitur. Cur fidem ei abrogemus, non habemus.

[2]) Haud raro non omnes tribuni primo comitiorum die creabantur (Mommsen St.-R. II[3], 279). At quoniam de comitiis consularibus a. 100, accedentibus aliis argumentis, idem traditur, scriptoris artificium fortasse subest. Ceterum res nostro loco haud magni momenti est.

2. De legibus Appuleis.

Priusquam ad legum argumenta accedamus, ordinem, quo latæ sint, de quo Klebsius Pauly-Wiss. II, 261—269 desperat, accuratius inspiciamus. Atque lex, in quam Metellus iurare noluit, annum 100 sine dubio obtinet, cum de ceterarum tempore nihil constet.

Sane auctor de vir. ill. 73 illum ordinem legum exhibet, qui non spernendus est, nisi valida contra eum argumenta prolata erunt: at quoniam designatione neque magistratuum initio singuli tribunatus discernuntur, quos Saturninum continuasse scriptor censet (cf. supra pg. 31, 3), de una lege de agris Africanis, quæ secundum eum anno 103 assignanda est, dubitari nequit.

Quæstionem, quæ ad legem Appuleiam de maiestate pertinet, Klebsius ad finem non perduxit (Pauly-Wiss. I, 262). Ne Lengle quidem (Die Sullanische Verfassung, Dissert. Freiburg i. Br. 1899, pg. 23—32), qui anno 103 eam latam esse vult, omnia quæ dicenda erant dixit, licet multa perbene contra Mommsenum (Röm. Gesch. II[8], pg. 180; Strafrecht pg. 198; 538 sq.) attulerit. Denuo igitur in rem inquirendum est.

Norbanum igitur trib. pl. ea lege apud equites a P. Sulpicio accusatum, quod seditiose in Q. Servilium Cæpionem egisset[1]), et ab Antonio, oratore clarissimo, diserte defensum absolutum esse,[2]) e fontibus Lengle (pg. 23 sq.) copiose illustravit. Etiam

---

[1]) Cic. de orat. II, 107. 167. 188. 197—204 part. orat. 104 sq. de off. II, 49 Val. Max. VIII, 5, 2.

[2]) Miro consensu viri docti (Mommsen Strafrecht 198, 1; Lengle pg. 30; Ziegler pg. 13) Norbani causam in annum 95 ponunt, (excepto Klebsio, qui (Pauly-Wiss. I, 2593) falsa de Norbani tribunatu a. 95 assignando opinione adductus (cf. pg. 67) in anno sequenti 94 eam collocat) pro testimonio habentes Cic. Brut. 162, qui locus non ad hanc causam spectat: *„est etiam L. Crassi in consulatu pro Q. Cæpione † defensione iuncta non brevis ut laudatio, ut oratio autem brevis.“* Primum enim, si Crassus „pro Cæpione in Norbanum“ dixisset, Sulpicium in accusatione adiuvasset, cuius rei in longa Antoni narratione, coram Crasso habita, vestigium exstaret; deinde Nor-

in eo plane probandus est, quod explanat, nihil eam legem ad bellum Cimbricum pertinuisse, sed et in posterum præcipue vim sive a tribunis sive in tribunos adhibitam[1]) fuisse coercituram. Atque re vera Sex. Titi accusatio, quamquam argumenta desiderantur, haud improbabiliter eadem lege facta est (cf. Lengle pg. 32; de causa cf. infra III, 6); crimen plane idem atque Norbani, quoniam manifesto „quod imaginem Saturnini domi haberet" non legalis accusationis causa erat (de orat. II, 48); equites iudicaverunt (Cic. pro Rab. 24); tempus quadrat.

Miror autem, quod Lengle (pg. 31) Q. Servilium Cæpionem iuniorem (duos Cæpiones recte Mommsenus Röm. Gesch. II[8], 203 Adn. distinxit) lege Appuleia reum factum esse Klebsio (Pauly-Wiss. II, 263) non concedit, quippe quem disertis verbis auct. ad Heren. I, 21 maiestatis arcessitum esse dicit; congruit præterea eius causa cum Norbani in eo (part. orat 104 sq.), quod *‚quid sit minuere maiestatem'* quæritur et quod crimen haud diversum Cæpioni obicitur (rogationem legis frumentariæ vi turbaverat: auct. ad. Her. I, 21, Sall. Hist. I frg. 62 Maur.). Cur igitur ante aut præter Appuleiam aliam legem plane eadem punientem exstitisse credamus? Neque temporis ratio nobis contradicit. Accusatio post quæsturam (ad. Her. I, 21) ante annum 90[2]) ponenda est. Quæstura Cæpionis autem cum uno ex Saturnini tribunatibus congruit. Ex quibus præferendus est tri-

---

bani accusationem, etiamsi Cæpio in ea laudatus esset, Cicero numquam Cæpionis defensionem dixisset. Aperte igitur ad Cæpionem iuniorem oratio pertinet (cf. pg. 49). Norbani causam alia argumenta nihilominus annis 96 aut 95 delegant: Antonius enim de orat. II, 198 censorius appellatur, quem magistratum a. 98/97 gesserat, Sulpicius autem eodem loco adulescens, et in antecedentis (de orat. II, 89) anni causa (de orat. II, 88) „adulescentulus" nominatur (natus est a. 124: Cic. Brut. 301, cf. 229). Ei igitur anni, qui proxime censuram secuti sunt, sese offerunt.

[1]) Quodammodo crimina punienda eam circumscripsisse necesse est, quia „causa maiestatis" in universum iampridem ea dicebatur, quæ a tribunis apud populum nulla certa lege agebatur (Mommsen St.-R. II[3], 325 Strafrecht 539).

[2]) quo Cæpio occisus est post a. d. III Id. Jun. cf. App I, 44; Oros. V, 18, 14; Marcks Überlief. d. Bundesgen.-Kr. pg. 91.

bunatus anni 100.[1]) Nam e Cicerone iuvenem eum mortuum esse apparet (de fin. III, 8).[2]) Quod autem belli Marsici temporibus iam prætura perfunctus esse videtur[3]), id optime explicatur, si anno 100, suo anno, quæsturam, anno 91, item „suo anno", præturam administravit atque a. 90 XLI annorum[4]) mortuus est; confirmatur impetu eius acerrimo in M. Livium Drusum[5]) facto, qui, si a prætore fiebat, maiorem auctoritatem habebat graviusque tribuno periculum intendebat.[6])

---

[1]) Ita omissis argumentis Klebs Pauly-Wiss. II, 266; Borghesi, Oeuvres V, 176; Babelon, Monn. Républ. II, 448; cf. I, 287.

[2]) *„nam et avi eius* (sc. pueri Luculli § 7) *memoria moveor, — nec enim ignoras quanti fecerim Cæpionem,* (cuius filiam Serviliam Lucullus in matrimonium duxerat: Plut. Cat. min. 24. 29. Luc. 38 Dio Cass. XXVIII frg. 96, 3 B.) *qui, ut opinio mea fert, in principibus iam esset, si viveret".*

[3]) Bello Marsico exercitui præerat (Appian. I, 40, 44; Liv. Per. 73); omnes autem, quos Appianus I, 40 duces affert, præter Sulpicium prætorii aut consulares sunt (cf. Cic. pro Fonteio 43): Cn. Pompeius cos. 89; C. Perpenna (ita pro M. Perpenna) cos. 92 (cf. Pauly V, 1356); C. Marius; Valerius Messalla ceteroquin ignotus est (fortasse = Gell. XV, 14; cf. Borghesi I, 408) de P. Lentulo nihil certi constat (Marcks l. l. 47, 1; Münzer Pauly-Wiss. IV, 1375 N. 203) T. Didius cos. 98; Licinius Crassus cos. 97 (pro Fonteio 43); Sulla cos. 88; Marcellus, cuius magistratus ignorantur, legatus a. 102 (Plut. Mar. c. XX. XXI, Front. II, 4, 6; Pauly-Wiss. III, 2760); Ser. Sulpicius Galba cos. a. 108 (App. I, 47 Liv. per. 72—74; Oros. V, 18, 25). Unus Sulpicius, orator celeberrimus, natus a. 124 (Brut. 304 „legatus" dictus) nondum prætura functus erat. Metellus Pius enim præt. 89 anno subsequenti demum imperium obtinuit (Pauly-Wiss. III, 1221).

[4]) Etiamsi anno 100 suo anno quæstura functus est, a. 52 (eo anno Cicero librum de finibus disputatum esse fingit) non solum in principibus, sed in valde senibus fuisset. Quo magis id, quod Cicero vult, eum admodum iuvenem mortuum esse, commendatur.

[5]) cf. Cic. de domo 120, Brut. 223; Flor. II, 5, 4; Plin. Nat. H. XXVIII, 148; XXXIII, 20; Dio Cass. XXVIII, frg. 96, 3 B. auct. de vir. ill. 66, 8, 13; Ampel. 26, 4.

[6]) Ascon. in Scaur. pg. 19 K.: *„Q. Servilius Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit P. Servilius Glaucia.* [eandem causam spectant Cic. in Scaur. 2; Charis. pg. 147, 10. 12 Keil. — Val. Max. III, 7, 8 repetundarum causam cum Vari accusatione (Klebs Pauly-Wiss. I, 586) confundit, fortasse eo adductus, quod apud auctorem, quem sequebatur, intra breve spatium tres Scauri causas (Cæpionis lege Servilia, Vari, Cæpionis lege Varia) invenit; qui auctor certe non Cicero in Scauriana fuit.] *Scaurus tanta fuit*

Nunc ad ipsam accusationem Cæpionis iunioris redeamus. Atque auct. ad. Her. I, 21 tempus, quod delictum proxime sequebatur, in animo habere videtur, nisi genus dicendi, quo utitur, nos fallit (cf. Preiswerk: de inventione oratiorum Ciceronianarum Diss. Basel 1905, pg. 25 sq.). Cavendum vero est, ne locum Ciceronis Brut. 162, quo Cæpio a Crasso a. 95 defensus esse dicitur, ad hanc causam referamus: nam si ille lege Appuleia reus a Crasso defensus esset, Cicero de orat. II, 197—204 sine dubio Crassum pro Cæpione dicentem Antonio eodem pæne tempore in eiusdem generis causa pro Norbano dicenti comparavisset. Quamcumque enim inter Crassum et Antonium contentionis instituendæ occasionem arripere Cicero potuit, arripuit. Atque quia a Scauro propter actionem nobilium gratia susceptam eum accusatum esse non est probabile, ter[1]) Cæpionem in ius vocatum esse statuimus: a. 95, a. 92 et statim post annum 100 aut ipso anno 100. Quibus concessis facile coniectura se offert, legem Appuleiam in ipsum Cæpionem latam esse (quod Lengle l. l. pg. 31 negat) et una cum lege frumentaria anno 100 esse tribuendam. Quod si placet, Mommseni sententia a Lenglio renovata (pg. 23—32), secundum quam etiam ad delicta impera-

---

continentia animi et magnitudine, ut Cæpionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret. M. quoque Drusum trib. pl. hortatus sit, ut iudicia commutaret' (cf. de Cic. de domo 50), non, ut Klebsius censet (P.-W. I, 586), anno, qui intra a. d. IV Id. Dec. 92 et a. d. IV Id. Dec. 91 continetur, Scauri in Cæpionem, Cæpionis in Scaurum causas procul omni dubitatione adsignat; quamquam inter Rutili fugam (tum damnati, cum iudicia, de quibus agimus, habebantur: Cic. pro Scauro 2. Rutilius a. 92 in exilium actus est cf. Liv. Per. 70. Peter Rell. Histor. Rom. I, pg. CCLXI sq. Reinach, Mithridate Eupator, pg. 107, adn. 3. Pauly-Wiss. IV, 1527) Drusique tribunatum spatium exiguum relinquitur. Sed nihil impedit, quin de reliqua anni 92 parte cogitemus et annum 91 præturæ, in qua non accusari potuit, retineamus. — Ceterum manifestum Cæpionis in Scaurum odium, cui etiam postea indulsit, (lege Varia eum accusavit: Cic. pro Scauro 3 Ascon. in Scaur. 19 K. Charis 193, 19; 196, 7; 224, 21 K. Lengle l. l. pg. 33), Scauri *„innocentiam“* aliter explicari permittit.

[1]) Quando a T. Betucio Barro Asculano (Brut. 169. 206) accusatus sit, ignoratur; iure tamen, propter accusatoris patriam, imminentis belli socialis tempora aliquis suspicetur.

torum in bello commissa lex Appuleia pertinebat et Gnæo Mallio exitium attulit, (de cuius causa cf. infra) merito concidit.

Cæpionem enim maiorem eadem lege Appuleia accusatum esse e Ciceronis verbis (de orat. II, 107. 167. 188. 197—204), ut bene Lengle contra Mommsenum contendit, non efficitur: A C. Norbano apud populum, quod eius culpa clades apud Arausionem accepta esset, reus factus et acriter obsistentibus nobilibus, spreta tribunorum L. Aureli Cottæ et T. Didi intercessione damnatus est. Locis laudatis addatur ad. Heren. I, 24, *purgatio est, cum consulto negat se reus fecisse; ea dividitur in fortunam, imprudentiam, necessitatem: „fortunam“ ut Cæpio ad tribunos plebis de exercitus amissione* (cf. Cic. Brut. 135 *Cæpio, cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit.* Mommsen Strafrecht pg. 173, St.-R. II[3], 323 sq.). De pœna cum his locis nihil constet, Livius Per. 67 et Ascon. in Corn. pg. 69 K. audiendi sunt, qui cum imperium ei abrogatum esse *plebiscito* (Per.) vel *a populo* (Ascon.) tradant, ad eandem causam aperte spectant (Ciceronis verba de orat. II, 167 *„gravis et miserabilis causa“* congruunt). Quod pœnæ genus, tum solum aptum, si imperium diutius habere debuit, lexque Cassia anni 104, quæ eos senatu movebat, quibus imperium abrogatum esset, (Ascon. l. l.) unum annum 105 Cæpionis damnationi relinquunt. Atque quoniam de Norbani,[1]) Cottæ[2]) Didique[3]) tribunatibus præter hoc unum nulla testimonia habemus, quominus annum 105 retineamus, nihil impedit.

---

[1]) Errore miro adducti Mommsen St.-R. II[3], 666, 4 et Klebs Pauly-Wiss. I, 2593 propter Cic. Brut. 162 Norbani tribunatum in a. 95 ponunt (cf. supra pg. 63,2); quæsturæ vulgo annum 99 collato Cic. de orat. II, 202 reservant. Sed multo melius illud *„quæstor tuus“* intelligimus, si cum Antonio, qui prætor pro consule a. 102 (Pauly-Wiss. I, 2590/1) Ciliciam obtinebat, in provincia fuit. Quod, si hoc concedis, post tribunatum Norbanus quæsturam gessit, ea res, quamquam certa exempla desunt (Mommsen, St.-R. I[3], 551, adn. 4; 542, adn. 3), legibus non vetabatur (Mommsen, St.-R. I[3], 551, adn. 3; 553, adn. 3).

[2]) Pauly-Wiss. II, 2485 falso annus 95 affertur; prætorius dicitur apud Cic. Brut. 137, cf. præterea Brut. 259, Ziegler l. l. pg. 13.

[3]) cf. Münzer Pauly-Wiss. V, 407 trib. pl. a. 103 nostro loco allato. Ziegler l. l.

Nam in Grani Liciniani loco (pg. 13, 12. 13 ed. Flemisch Teubner 1903): „*Cn. Mallius ob eandem causam quam et Cæpio L. Saturnini rogatione e civitate plebiscito* (sic recte Bernays) *eiectus*“, qui, quod ordinem narrationis turbet, a Dieckmanno (Berliner Studien XVI 3, pg. 39 sq.) Grani fonti secundario, a Flemischio (De Granio Liciniano Diss. Münch. 1900, pg. 24; edit. pg. XI) una cum enuntiato: „*hoc anno Cn. Pompeius natus est atque Cicero*“ adnotatori tribuitur, tertium, quod vocatur, comparationis recte iam Dieckmannus in „eadem causa“ positum esse vidit neque concludendum est Cæpionem aut a Saturnino accusatum aut e civitate eiectum esse. Atque Grani verbis, etiamsi ex alio scriptore deprompta sunt, fidem cur abrogemus, nulla ratio est. De primo autem Saturnini tribunatu cogitare præstat, quia a tempore cladis minore spatio distat. Cn. Mallius igitur a. 103 ab Antonio defensus (Cic. de orat. II, 125) aut ante peractam causam, aut damnatus in exilium profectus est. [1]) Sed Lengle pg. 31 inter „rogationem“ et „plebiscitum“ Grani distinguens subtilior quam probabilior est neque ulla vestigia latent, quæ legem Appuleiam indicent. At optime convenit, quod Mallius exilio neque imperii abrogatione multatur, quod a Saturnino neque a Norbano accusatur, ut pro certo teneamus, non uno eodemque anno in eum et in Cæpionem actum esse.

Damnationem Cæpionis a Norbano perpetratam amissumque lege Cassia honorem senatorium popularibus nondum satis pœnæ visa esse quæstio auri Tolosani (a Cicerone de de. nat. III, 74 commemorata) docet. Cæpio enim consul a. 106 Tolosam oppidum Gallorum, quod a Romanis defecerat, ceperat thesaurosque ingéntes, quos inde a Brenni temporibus eo collatos esse credebant, e templo rapuerat (Oros. V, 15, 25; Dio Cass. XXVII, 90; Strabo IV, pg. 188; Gell. III, 9, 7; Justin. XXXII, 3, 10). Atque primum, qua

---

[1]) Damnato Cæpione Mallium iudicium non exspectavisse sed, ut Popillium a. 107 a tribuno pl. maiestatis accusatum (Cic. de invent. II, 72, de leg. III, 36, Auct. ad Her. I, 25, IV, 34, Ascon. in Corn. 69 K, Oros. V, 15, 24, Mommsen, Strafrecht 171, 1, Staatsrecht II³, 323, 6), se ipsum iudicio exemisse haud absurdum est; nisi forte Cicero de orat. II, 125 repugnat.

de causa Cæpio reus factus sit, quæritur, quod inter auctores haudquaquam constat.

E quibus Timagenes (Strabo IV, pg. 188) ἱερόσυλον Cæpionem dicit; secundum Livium autem (Dionem Cassium et Orosium), quod e præda immensa τοῖς οἴκοι Ρωμαίοις parva tantummodo pars reddita esset, quæstio instituebatur: quam sententiam nonnulla argumenta probant:

1. Sacrilegia in templa externarum gentium commissa tum solum publice in crimen vocabantur, si iam antea, ea quæ rapta erant, populi Romani fuerant; [1]) nisi forte privilegio (Strafrecht pg. 763, 4) Tolosanos condonatos esse putas, quod per se minime commendatur.
2. Quotienscumque magistratus sub specie religionis pecuniam reddere coacti erant, piacula instituebantur pecuniaque in templo reponebatur; [2]) quod negotium vero non sub causæ forma transigebatur neque pecunia Cæpionis deo reddebatur, ut auct. de vir. ill. 73 testatur.
3. Forma proverbii de auro Tolosano (cf. Gell. l. l. Justin. l. l.) eis, qui tetigerint, interitum paranti, unde ortum sit, ipsa indicat. Vix recte Justinus [3]) de pugna apud Arausionem facta, qua dei totum Cæpionis exercitum deleverint, tamquam de pœna cogitat: non in milites ad deorum vindictam celebrandam, sed in imperatorem ipsum eiusque socios fraude populi Romani auro potitos fictum esse videtur; manifesto enim post damnationem demum excogitari poterat, neque clades Cimbrica ullam occasionem eiusmodi dicti componendi dabat.
4. Si verba auctoris de vir. ill. 73 *„aurum dolo an scelere Cæpionis partum“* torquemus, quæstio secundum Timagenem principalis non diiudicata est. Cum vero causam peractam

---

[1]) cf. Mommsen, Strafrecht pg. 763, 3 Cic. in Verr. act. sec. I, 11; IV, 88.

[2]) cf. Liv. XXIX, 19, 7, 8; 21, 4; XXXI, 12, 3—5; XXXII, I, 8; Wissowa, Rel. u. Kultus d. Röm. pg. 330, 7.

[3]) Qui e Timagene hausit cf. Gutschmid, Rhein. Mus. 37, 1882, pg. 48 sq. = Klein. Schr. V, 218 seqq.

Cæpionemque damnatum esse infra demonstraturi simus, una explicatio restat: peculatus Cæpio vel ita convinci poterat, ut quomodo aurum, de quo agebatur, ab eo Tolosanis ereptum esset, in iudicio non patefieret (Orosi V, 15, 25 narratio vulgatam de rapina opinionem reddit).

Peculatus igitur Cæpio, quod de præda Tolosana clam partem seposuisset, reus factus est. Neque obstat, quod peculatus accusationem tum solum instituere licebat, cum de ipsa præda (non de pretio prædæ venditæ) aliquid deprehensum erat,[1]) ita ut rarissime secundum Catonem (Gell. XI, 18, 18) peracta sit; nam etiam Scipionem, quod de auro Antiochi regis abstulisset, in iudicium vocatum esse compertum habemus. Priusquam in formam iudicii inquiramus, Cæpionem damnatum esse statuamus.[2]) Quod cum constet, iam ceteros locos, quibus de damnationis causa nihil exponitur sed exilii mentio fit, de eodem iudicio intelligamus [3]) atque ex his eum exilio multatum esse concludamus.[4])

Quod ad iudicii formam attinet, Cicero quæstionem auri Tolosani cum quæstione coniurationis Iugurthinæ et rogatione Peducea de incestu connectit; (de nat. de III, 74) itaque quæstionibus extraordinariis adnumeratur.[5]) Videamus igitur, quid

---

[1]) cf. fores æratas Camilli: Plut. Cam. 12 Plin N. H. XXXIV, 3, 13; de præda Asculana Plut. Pomp. 4. Mommsen, Röm. Forschungen II, pg. 449; Strafrecht pg. 765.

[2]) Strabo l. l. Justin l. l. Gell. l. l. quia proverbium, nisi re vera interitum aurum attulisset, sensu careret; aurum secundum auct. de vir. ill. 73, recuperatum Cæpionem convictum esse probat; Dionis *συχνοὶ ἠϑύνϑησαν* de damnatis interpretari licet cf. Ditt. Syll. No. 20, 20; 570, 13; Plut. Popl. 11; Lucian Am. 35.

[3]) Cic. pro Balbo 28; Tuscul. V, 14; fortasse enuntiati Cic Brut. 135 altera pars hanc causam spectat.

[4]) A Valerio Max. IV, 7, 3 adductus Lengle pg. 29 sq. tertiam accusationem postulat. At contra ceterorum testimonia Valerius, auctor neglegentissimus, non valet. L. Rhegini igitur intercessionem, quæ cum exilio arte cohæret, ad hanc alteram peculatus causam transponamus. Censendum est Valerium, in excerpendo fonte, qui Cæpionis totam vitam statim post cladem abrogationemque narrabat, (ita Livius cf. infra) cum bello Cimbrico aurum Tolosanum commutasse. Val. Max. VI, 9, 13, de quo Ziegler l. l. pg. 13 monet, noli adhibere.

[5]) cf. Oros. V, 15, 25; Mommsen Staatsrecht II³, 666, 4; Lengle pg. 29, 30; Strafrecht 198, 1.

de similibus peculatus quæstionibus compertum habeamus. De Pompei causa apud Antistium prætorem acta (Plut. Pomp. 4, III, pg. 191, 12) commemorantur προαγῶνες, κατήγορος (pg. 191, 9) δικασταί (191, 18); sed utrum quæstio extraordinaria fuerit necne, nescimus. Quæstionem peculatus in L. Scipionem cum falso a Valerio Antiate introductam esse inter viros doctos constet[1]), suspicio oritur, eam ad alicuius causæ exemplum fictam esse. Quæstio illa extraordinaria a Petilliis rogatur (Liv. XXXVIII, 54, 55), in custodiam Scipio ducitur (Mommsen, Röm. Forsch. II, 472 sq.), sed intercedente Ti. Sempronio Graccho, cui resistunt ceteri tribuni, liberatur (l. l. pg. 474, 1). Quæ omnia in Cæpionis causam quadrant, si Mommseno (l. l. 446) concedis, complures simul eiusdem delicti accusare licuisse.[2]) Quod autem post Gracchorum ætatem abductio in carcerem raro invenitur[3]), in quæstionibus extraordinariis multo severius quam in ordinariis in reos animadverti solebat (Strafrecht 197 sq., 201, 942).

Fortasse haud temere Camilli causam ad auxilium ferendum vocamus. Quem peculatus accusatum esse veteres annalium scriptores contendunt.[4]) De actionis forma ambigitur: antiquior narratio, secundum quam Camillus propter fores æratas a quæstore Carvilio reus factus est, L. Pisoni tribuitur[5]); alteram, secundum quam peculatus a L. Appuleio trib. pl. accusatus est, Valerio Antiati vindicant.[6]) Multam ei inrogatam esse omnes

---

[1]) cf. Mommsen, Röm. Forsch. II, 454, adn. 82; Staatsrecht II³, 322; Strafrecht 172, 1; 769, 2; Münzer Pauly-Wiss. IV, 1482.

[2]) In Cæpionis iudicio hoc testantur Dio Cass.: *συχνοί*; Oros.: magna quæstio; ipsum proverbium, quod in universum loquebatur. De Scipione Antias idem habet cf. Mommsen, Röm. Forsch. II, 471. adn. 107.

[3]) Mommsen, Strafrecht, pg. 70, 326, 961; Staatsrecht I³, 153—155, 2.

[4]) Removenda est accusatio, quæ propter triumphum equis albis habitum instituta esse credebatur: Diod. XIV, 117; Dio Cass. 52, 13; auct. de vir. ill. 23, 4; Hirschfeld, Festschrift für Friedländer, pg. 129, 130.

[5]) cf. Plin. N. H. XXXIV, 3, 13; Cic. de dom. 86; Hirschfeld l. l. pg. 131 sq.

[6]) Hirschfeld l. l. pg. 134; cf. Mommsen, Strafrecht 769, 1, testimonia: Liv. V, 32, 8 [e quo Oros. II, 19; Flor. I, 22; Eutrop. I, 20; Val. Max. V, 3, 2] auct. de vir. ill. 23, 4; Plut. Cam. 12; Serv. Aen. VI, 826, amisso nomine Plut. de fort Rom. 12; Dionys. XIII, 4 Suid s. *Φούριος* Dio Cass. VI, frg. 24, 4 Boiss.

consentiunt; (Hirschfeld pg. 133); dissentiunt in eo, quod in exilium profectus esse dicitur aut ante peractam causam (ita Liv. Plut. Dio. Cic. de rep. I, 3, 6), aut amicis, ne in carcerem abduceretur, multam se pensuros promittentibus.[1]) Atque Antiatem fores æratas non exhibuisse e Livio Hirschfeld (134, adn. 43) concludit, cum tamen apud Dionysium, si illa narrationis pars exstaret, iure eos exspectaremus: quod e Plutarcho Hirschfeld sumit. Qui autem, quod tribunum (Hirschfeld 133, adn. 40), non quæstorem, accusationem instituisse tradit, præter Pisonem alium auctorem secutus est, et fortasse Antiatem inspexit.[2]) Si vero re vera apud Dionysium Antias latet, Livius non omnia, quæ Antias narrabat, refert, et non solum fores æratas, sed etiam abductionis minam a Dionysio ad Valerium transferre licebit. Sic autem ad Scipionis causam, qualem eam idem Antias tradidit, Camilli prope accedit, distinctione ita facta, ut hunc tribunus accuset, in illum rogatione tribunicia quæstio instituatur.

Si autem recte cum Cæpionis quæstione Scipionis comparavimus, etiam Camilli ad idem exemplum ab Antiate fictam esse nomen L. Appulei tribuni[3]) docet. Atque illæ narrationes copiosæ fortasse scientiam nostram de Cæpionis causa augebunt: Saturninum rogationis auctorem demonstrant, intercessionem et fugam (Val. Max. IV, 7, 3) confirmant. L. Appuleius Saturninus igitur trib. pl. rogationem tulit, ut quæstio de auro Tolosano institueretur. Itaque una cum nonnullis aliis Cæpio peculatus

---

[1]) Dionysius et Appianus, qui e Dionysio sua habet secundum Hirschfeld 133, adn. 38.

[2]) Plutarchum et Dionem e Livio et Dionysio Hirschfeld derivat p. 133, adn. 38; 40 rectius e solo Livio.

[3]) Appulei nomen propter Furi trib. pl. cum Saturnino inimicitias (cf. infra III, 6) introduxisse Antiatem Pais (Storia di Roma I, 2, pg. 19. 38) censet; non recte, cum de odio illo nihil notum sit, nisi quod a popularibus ad optimates postea transiit. Res Romanæ antiquissimæ sæpe tamquam imagines temporum recentiorum sunt: cf. Schwartz. Notæ de Romanorum annalibus. Preisaufgaben Göttingen 1903; de huiusmodi causis: Mommsen, St.-R. II³, 318, 1.

reus factus est. Qui cum multam, qua multatus erat[1]), totam pendere non posset (cf. Camilli timorem Dionys. App.), aut quoad eam pependisset (de Scipione cf. Röm. Forsch. II, 472 sq.; Münzer Pauly-Wiss. IV, 1482), in carcerem coniectus intercedente L. Rhegino trib. pl. liberatus est atque in exilium migravit.[2]) Tum, ut multa exsolveretur, bona eius publicata sunt.[3])

---

[1]) Multam de eo exactam esse auctor de vir. ill. 73 testatur, qui de pecuniæ redditæ usu narrat. Accedit, quod de Camillo atque Scipione idem traditur.

[2]) Cæpio fortasse non iure, sed facto exulavit, quoniam neque exilio multatus esse, neque ante iudicium fugisse videtur, ut aqua et igni ei interdictum sit. Redeuntem igitur ea tantummodo condicione consul tribunusve in carcerem conicere poterat quidem, non debebat (cf. Mommsen, Strafrecht 72 sq.), si ad pendendam multam bona publicata non sufficiebant; qua de re nihil scimus. Sed etiam Scipio, cui in patriam redire licebat, exilium voluntarium præoptavit; quod idem de Cæpione cogitandum est, cuius odium populus a 95 nondum deposuerat (Cic. de orat. II, 197 sq.).

[3]) Quod ad bonorum publicationem attinet, cuius mentio fit in Per. 67 („bona publicata"), illud certissimum est, non cum abrogatione imperii eam coniungendam esse. Imperium enim Cæpioni abrogatum est, antequam quæstio peculatus instituta est, quod Cæpio, si iam damnatus esset, non anno 105 exercitui pro consule præfuisset; deinde etiam, quia ea causa, ex qua in exilium profectus est, ultima esse debet: si igitur ad prius iudicium publicatio pertineret, efficeretur, ut Cæpio et accusatus esset et multa ei inrogata eo tempore, quo erepta omni re familiari profecto neque prædam servare potuisset. Quod absurdum est.

Quia autem alias Cæpionem subiisse accusationes neque constat neque probabile est, ad peculatus causam publicationem bonorum referamus. Atque optime omnia congruunt, si ad exemplum Scipionis bona Cæpionis in exilium profecti publicati sunt (Liv. XXXVIII, 60, 8; Münzer P.-W. IV, 1482); neque iudiciorum consuetudo huic coniecturæ repugnat (cf. Strafrecht pg. 71/2. 1006). Quin et adiuvatur eo, quod:

1. Lex Cassia, quæ in Cæpionem lata est (Ascon. in Corn. 69 K), eos senatu movebat, quibus imperium abrogatum esset. Ea autem bonorum publicationem non commemorabat. Prior enim eius pars *„quem populus damnasset"* ad C. Popillium pertinebat (cf. de lege Mommsen St.-R. I³, 492, 1).
2. In Periocha 67 sane verba *„bona publicata"* ad priorem causam spectant; sed rerum ordinem turbatum esse errores manifesti indicant. Publicatio enim, si omnino, post imperii abrogationem demum afferenda erat (cf. Mommsen, Strafrecht 1006). Deinde verba, quæ addita sunt, „primi post regem Tarquinium" nullo modo, neque si ipsam rem spectas (Mommsen, Strafrecht 1006 sq.: multorum scilicet bona publicata sunt),

Ad utrum vero e Saturnini tribunatibus altera Cæpionis causa pertineat, nunc in incerto relinquendum, illud vero tenendum est, ante legem frumentariam, cuius rogationem Cæpio minor (fortasse maioris filius: Mommsen, Röm. Gesch. II[8], 203 adn.) turbavit, si quid video, et accusationem et legem de auro ponendas esse, quia optime ex iniuria patri aut necessario facta Cæpionis odium explicatur. Atque legem de auro auctor de vir. ill., quamquam inter tribunatus non distinguit, anno 100 assignat, quoniam eam post legem de coloniis inseruit[1]), cuius rogatio secundum App. § 136, annum 100 occupat.

Itaque ordo legum anno 100 latarum hic est: lex de auro Cæpionis, lex frumentaria, lex de maiestate. Legem vero de auro, cum ad agrorum emptionem pecunia conversa esse dicatur, (auct. de vir. ill. 73) lex sive agraria sive de coloniis deducendis præcesserit, necesse est; neque Appianus dissentit, qui tempus ante comitia tribunicia quodlibet rogationi collocandæ concedit. Gravissima vero argumenta duas eiusmodi leges latas esse indicant: primum enim Appianus (29, 130) de agro Gallico distri-

---

neque si ad Livi narrationem recurris, ad quam ipse lectores relegat, (I, 59, 11 de bonis publicatis tacet: *„his... memoratis incensam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret“)* ad priorem accusationem pertinere possunt (cf. Mommsen St.-R. I[3], 629, adn. 1. 4. de abrogatione imperii, quæ unica igitur et sat gravis pœna cladis Cimbricæ fuit.)

Atque facile epitomator negligens ad priorem causam, quæ alteri relinquenda erant, transferre poterat, si a Livio Cæpionis exitus inde a pugna usque ad exilium continuo narrabatur. Quod iam supra e Valeri errore conclusimus, neque diversum in Metelli sorte exponenda scriptoris consilium fuisse infra demonstrabitur (III, 6).

Non nescio in tota argumentatione, quæ de Cæpione agit, sæpe pro certis argumentis probabilitatem me fecisse valere; sed ad concilianda testimonia, minime illa quidem explicata, solidissimum in Camilli Scipionisque causis fundamentum iactum esse, non temere, quantum spero, putavi.

[1]) Numero singulari *(huic legi)* post pluralem *(in leges suas)* usus auctor tamen leges, de quibus verba fecerat, in animo habet. Ne suspicioni indulgeamus, eum in brevius vitam contrahentem aliam legem, ad quam pronomen *„huic“* referri debeat, omisisse (cf. pg. 32), Appianus prohibet, qui et ipse ad unam eandemque legem interdictionem, pluviam, (pro qua βροντὴν posuit) Metelli fugam refert.

buendo, auct. de vir. ill. 73 de coloniis in Siciliam, Achaiam, Macedoniam deducendis verba faciunt; quæ una lege complecti minime placet, quia ager Gallicus iure belli nuper totus populi Romani factus erat, fines agrorum provincialium autem antea recognoscendi dimetiendique, quique eos sive occupaverant sive conduxerant, expellendi erant. Eo accedit, quod Cicero certe, qui pro Balb. 48 colonias lege Appuleia decretas non deductas esse testatur, agrum Gallicum, ut Velleius I, 15, 5 docet, non intelligit. Quod deinde scriptores mutato nomine et legem agrariam et legem de coloniis deducendis commemorant[1]), id urgere non placet, cum facillime in his minutiis auctores, quales tenemus, errare possint.[2])

Sed, quin duas habeamus leges, nemo dubitabit; atque utra prior lata fuerit, nunc quæratur. Primo vero loco eam ponere, qua Eporedia colonia deducta est, altero eam, quæ postea abolita est, magnam veritatis speciem habet. Itaque ad hanc Ciceronis locus pertinet, illa de agro Gallico statuebat. Utrius vero rogationem Metelli fuga secuta sit, diverse scriptores tradunt, Appiano cum lege de agro Gallico, auctore de vir. ill. cum lege de coloniis

---

[1]) Cicero pro Balbo 48 legem de coloniis deducendis commemorat; idem vero alio loco (de leg. II, 14) Titias et Appuleias leges una sententia complectens, quoniam Titiam agrariam fuisse scimus (Obseq. 45), etiam Appuleiam agrariam nominare videtur; in periocha lex „agraria“ appellatur; quod etiam sub Plutarchi (pg. 360, 29 *ὁ περὶ τῆς χώρας νόμος*) et Appiani (c. 29, 130) verbis latet (*διαδάσασθαι χῆν*); auct. de vir. ill. 73 colonias affert; Florus „leges Gracchanas“ in universum eas dicit.

[2]) De Periocha et Obsequente cf. Kornemann: Zur Geschichte der Gracchenzeit l. l. pg. 46, adn. 1. In universum tamen recte se habent: lex Sempronia a. Ti. Graccho lata agraria dicitur: Cic. de leg. agr. II, 10 pro Sestio 103; Oros. V, 8, 3; Flor. II, 2 (III, 14); Per. 58; Plut. Ti. Gracch. c. 13, pg. 177; Vell. II, 2, 2 eadem a C. Graccho repetita: Cic. de leg. agr. II, 10; Oros. V, 12, 4; Flor. II, 3 (III, 15); Liv. per. 60; Plut. C. Gracch. pg. 193, 31; Vell. II, 6, 2 auct. de vir. ill. 65, 3 cf. C. I. L. I, pg. 88; eiusdem leges de coloniis: Plut. C. Grach. 9, pg. 193, 4—6, 27; 6, pg. 191, 21; App. I, 23, 98. 101; Vell. II, 6, 2 vir. ill. 65, 3; falso: Liv. Per. 60. A Livio Druso legem agrariam et legem de coloniis latam esse crediderim cf.: App. I, 35, § 156; 36, § 162; Per. 71; auct. de vir. ill. 66, 9 (dissentit Marcks l. l. pg. 10, 3); legi Serviliæ, qua et agri assignabantur et coloniæ deducebantur, (Cic. de leg. agr. I, 17) nomen agrariæ legis aptius fuit.

in Achaiam, Macedoniam, Siciliam deducendis eam connectentibus. Fortasse Appianus idcirco præferendus est, quia propter nobilium contentionem iam primam legem Saturninum nisi per vim rogare non potuisse consentaneum est. Quoniam autem legem de auro Cæpionis cum altera lege de coloniis auctor de vir. ill. coniungit, nisi fidem ei denegare mavis, ambæ leges de coloniis ceterarum seriei præmittendæ sunt; ita tamen, ut spatio maiore temporis distent, quia priorem tantum exsequi potuit Appuleius. Nec non ipsius Cæpionis damnatio hac ratione in anno 100 collocatur; priori enim legi, si iam tum multatus fuisset, clausulam de auro Saturninus addidisset. Quod fortasse etiam locus Obsequentis c. 44 confirmat: *„servus Servili Cæpionis matri deæ se præcidit et trans mare exportatus, ne umquam reverteretur.“* Fieri enim potuit, ut ipse Cæpio servum suum cogeret, ut matrem deam sibi conciliaret (cf. ad rem: Wissowa, Religion und Kultus der Römer, pg. 264, adn. 8).

Hæ igitur sunt leges: anno 103 [1]) Saturninus legem tulit, ut veteranis (exercitus Africani?) in Africa centena iugera assignarentur. Jure „agrariam“ neque de „coloniis“ legem appellari tituli docent (cf. Barthel, Zur Geschichte der römischen Städte in Afrika. Diss. Greifswald 1904, pg. 10: Dessau inscr. sel. 6790 [Thibaris] C. I. L. VIII, 15450. 15454. 15455 [Uci maius]). Sicut enim, postquam religio coloniam Gracchi Carthaginem evertit, assignationes tamen ab eo decretæ perfectæ esse videntur (Mommsen C. I. L. I, pg. 97 = Ges. Schriften I, 1, 124), ita Saturninus, ne optimates causam resistendi haberent, ab initio in pagorum formam colonos constitui voluit: Ager publicus populi Romani in Africa situs iam in lege agraria C. I. L. I [1], pg. 100 commemoratur; bello Jugurthino fortasse auctus erat; atque Ciceronis ætate pars eius supererat (de lege agr. I, 10; II, 58).

---

[1]) recte omnes recentiores testimonium auctoris de vir. ill. accipiunt. De M. Bæbio tribuno nihil præterea comperti habemus. Vulgo eundem esse censent atque illum, qui a Jugurtha corruptus est cf. Pauly-W. II, 2729 No. 10; fortasse autem rectius non discernendus ab eo, quem Marius occidit: App. I, 72, § 332; Flor. II, 9, 14 = Aug. civ. d. III, 27, Pauly-Wiss. II, 2730, No. 17.

A. 100 lex lata est de colonia in agrum Gallicum deducenda, quem Romani belli iure publicum factum esse dicebant, quod Cimbros, in quorum potestatem a Gallorum transisset, bello vicissent (App. I, § 130). Cuius regionem Eporedia colonia tum deducta[1]) demonstrat; latitudo eius, cum præter Eporediam coloniæ non nominentur, ignoratur. Fortasse Dertona colonia, haud procul ab Eporedia sita, de cuius origine iam apud antiquos ambigebatur[2]), eadem lege condita est. Haud parvi momenti est Plini locum (N. H. III, 123: *oppidum Eporedia Sibyllinis libris a populo Romano condi iussum*) a Mommseno adlatum (C. I. L. V, 750 sq.; cf. Obseq. 21) conferre: prisca igitur oracula, quibus deductio a dis ipsis imperabatur, deprompta sunt. Neque iure optimates soli in crimen vocantur, quod ad consilia in re publica perpetranda rebus divinis, oraculis, auguriis, prodigiis abusi sint, sed etiam populares, sicut persæpe cædem cæde, ita prodigia (cf. quæ de colonia Carthagine Junonia traduntur) oraculis remunerati sunt. Ceterum summo studio, ne populares legem exequerentur, nobiles contendisse ex eodem loco colligitur.

Quod ad alteram legem de coloniis in Achaiam, Macedoniam, Siciliam deducendis attinet, quæritur, utrum colonia Mariana in Corsica insula, anno ignoto a Mario condita[3]), condita, alia lege decreta sit, an eadem ita, ut pro Sicilia Sardinia, cuius pars Corsica erat, intelligenda sit. Obstat autem et Cicero (pro Balbo 48; fortasse de leg. II, 14), qui unam e legibus, — atque hanc significari supra statuimus — abrogotam esse testatur, et Livi Drusi lex de coloniis in Siciliam deducendis (cf. App. I, 35, § 156 ὃ δὲ τὸν δῆμον... ὑπήγετο ἀποικίαις ἐς Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν ἐψηφισμέναις μὲν ἐκ πολλοῦ, γεγονυίαις δὲ οὔπω), quæ recte Siciliam

---

[1]) Vell. I, 15, 5; cf. C. I. L. V, pg. 750; Beloch, der italische Bund unter Roms Hegemonie, pg. 27; Kornemann Pauly-Wiss. IV, 522, No. 32.

[2]) Quamquam neque annus 103 neque 100 inter eos erat, qui speciem probabilitatis habere videbantur Vell. I, 15, 4; C. I. L. V, pg. 832; Kornemann Pauly-Wiss. IV, 522, No. 30.

[3]) cf. Plin. N. H. III, 80 Sen. ad. Helv. VIII, 2; Mela 2, 19; Solin. III, 3; C. I. L. X, pg. 838 sq.; Kornemann Pauly-Wiss. IV, 522, No. 33.

ab auctore afferri arguit. Colonia Mariana igitur aut a. 103 deducta aut omnino non a Saturnino rogata est. Nomina coloniarum deducendarum plane ignoramus, cum et Appuleia et, quæ eam partim retractabat, Livia lex, postea abolitæ sint.

Aurum autem, quod secundum auct. de vir. ill. 73 ad constituendas colonias publice concessum est, non, ut apud eundem legimus, ad emptionem agrorum Saturninus adhibuit:

1. Primum enim ad exemplum legis Semproniæ de thesauro Pergameno, qua colonis ad ædificandas villas, instrumenta emenda, alia, pecunia distribuebatur, (cf. Liv. Per. 58, Plut. Ti. Gracch. c. 14; neglegenter omnibus civibus eam impertitam esse Oros. V, 8, 4; Flor. II, 3 (III, 15); auct de vir. ill. 64 dicunt) legem Appuleiam conscriptam esse a Saturnino probabile est.
2. Deinde ante a. 63, quo anno de lege Servilia apud populum agebatur, agri, qui viritim assignarentur aut ad colonias deducendas dividerentur, non emebantur[1]) (aliter Kornemann Pauly-Wiss. IV, 563); plane novum enim et inusitatum emendi consilium Ciceroni videtur (de leg. agr. II, 62—75).
3. Porro de agro, qui ante a. 90 assignabatur et in quo coloniæ condebantur, aut omnino nihil constat, aut manifesto iam antea publicus fuerat:
   a) de lege agraria Ti. Gracchi et de lege agraria C. Gracchi, quæ priorem renovabat, verba facere non oportet.
   b) ager coloniæ Carthaginis Junoniæ publici iuris erat (Kornemann Pauly-Wiss. IV, 522, 29; 532, 117; C. I. L. I[1], pg. 96 sq. = Mommsen, Ges. Schriften I, 1, 119; App. I, 24, 103; Cic. de leg. agr. I, 5; II, 51); de agro Campano sive Capuano idem notissimum est; ager Tarentinus, (cf. C. I. L. IX, pg. 21) cuius iuris fuerit, incertum est.
   c) de territorio coloniarum Scolaci (C. I. L. X, pg. 12; Kornemann Pauly-Wiss. IV, 522, 29) et Narbonis (C. I. L. XII, pg. 521) nihil constat (Kornemann l. l. 522, 31).

---

[1]) Monum. Ancyr. c. 16 colonias militares tantummodo spectat.

d) Colonias Livianas in Italia recte Strehl (M. Livius Drusus, Diss. Marburg 1887, pg. 19, 22—25) assignationes fuisse dicit[1]; male autem agrum publicum fuisse negat, quem, ni fallor, testatur dictum illud (auct. de vir. ill. 66, 5): *nemini se ad largiendum præter cœlum et cœnum reliquisse* (cf. App. I, 36, § 162); de coloniis in Siciliam deducendis cf. supra.

.4. Postremo in provinciis, in quas colonos vel colonias misit Saturninus, agrum publicum populi Romani fuisse, excepta Corsica, scimus:

a) in Africa usque ad Ciceronis ætatem cf. C. I. L. I, pg. 96 sq. = Mommsen, Ges. Schriften I, 1, 119 sqq.

b) agrum Gallicum iure belli populus Romanus possidebat.

c) de agro publico Siciliano permulta exstant testimonia: cf. Holm, Geschichte Siciliens III, pg. 86—88; 377—380; Cic. de leg. agr. II, 48; III, 12. Coloniæ Augusti[2]) secundum Holm partim in agro publico conditæ sunt (l. l. 231), cum ante a. 70 colonias Sicilia non haberet. Etiam quod Drusus Siciliam iterum lege inclusit, talem agri conditionem commendat.

d) agrorum publicorum in Achaia sitorum notissimus ager Corinthiorum erat (C. I. L. I, pg. 85, lin. 96 sq., pg. 106 = Mommsen, Ges. Schriften I, 1, 95. 145. Cic. de leg. agr. I, 5; II, 51).

e) de agro Macedonico cf. Cic. de leg. agr. I, 5; II, 50; III, 12.

Agrum publicum igitur in provinciis Saturninus reperire poterat (in Italia præter agrum Capuanum paullum supererat); itaque, si agros emisset, stulte fecisset neque populi favorem sibi conciliavisset. Atque præterea in tota tribunatus gerendi ratione tam fideliter Gracchos imitatus est, ut etiam hic eos

---

[1]) Ut legem Appuleiam de Sicilia, ita legem Titiam agrariam renovavit; quæ, quominus de assignando agro Italico egerit, nihil impedit (cf. App. I, 35, 156).

[2]) Thermæ Himereæ (C. I. L. X, 739, 761), Panhormus (C. I. L. X, 751), Syracusæ (C. I. L. X, 730), Catina (C. I. L. X, 720), Tauromenium (C. I. L. X, 718), Tyndaris (C. I. L. X, 771).

adhihere liceat; ut Gracchus Attali regis thesaurum, ita Saturninus aurum Cæpionis ad ornandos pecunia colonos convertit. Ad eiusdem autem Gracchi exemplum præter cives Romanos Italicos, quamquam paucissimos, colonos delegit.[1])

De Glauciæ lege parum cognita Ziegler (l. l. pg. 28) disputavit.

3. De Q. Metelli Numidici exilio.

In ferenda adhibendaque sive priore, sive altera de coloniis lege illud accidit, quod e tribunatu L. Saturnini tenacissime in animis posterorum hæsit, Q. Metelli Numidici exilium. Appiani de turbulenta legis rogatione narratio, partim e Gracchorum ætate translata, partim falsa rusticorum urbanorumque commemoratione depravata suspicionem movet, quamquam scriptoris ignoti opinionem, quam Appiani cum auctore de vir. ill. consensus nobis servaverunt, in universum rectam recte expressisse videtur: per vim enim latam esse legem Metelli recusatio comprobat. Sanctio, qua lex plerisque scriptoribus tradentibus ornata erat, e communi usu addi et iusiurandum sine dubitatione præstari solebat (Mommsen, Strafrecht pg. 882); quapropter Ciceronis iudicium (cf. 21), Metellum iureiurando recusando suam gloriam et constantiam, non rei publicæ commodum spectavisse (cf. Metelli Celeris imitationem Dio Cass. XXXVIII, 6, 7), optime se habet neque plura addenda essent, nisi scriptorum studio ratio, cur res ita accidissent, corrupta esset. Atque primum de pœna statuta dissentiunt: auctor de vir. ill. 73, 6 et Florus II, 4, 2 (verbis incertis) exilium afferunt; Livius, cum de causa tribunicia loquatur (pg. 26), nihilominus exilium iam in sanctione exhibet. Recedit ab eis Appianus, vel potius fons x (cf. pg. 36), qui senatu movendum et XX talentis[2]) multandum eum dicit, qui ius-

---

[1]) Cic. pro Balbo 48; ab Appiano (I, § 132) consulto numerus augetur; qua de causa cf. pg. 46 (de Graccho App. I, 24).

[2]) Idem valet atque HS $\overline{\text{CCCCLXXX}}$; HS $\overline{\text{D}}$ fortasse statuebantur Mommsen Staatsrecht III, 885, vix recte id. Strafrecht pg. 882, 7; secundum Strafrecht pg. 1019 pœna HS $|\overline{\text{X}}|$ numquam excedebat; permagna igitur erat.

iurandum non præstiterit. Quod probandum est, non solum quia ex eventu inseri non potuit, sed etiam, quia cum sanctione legis Bantinæ, quæ, cum ætate sit coniuncta, easdem fere pœnas statuit[1]), partim consentit.[2]) Quoniam vero in solos magistratus lege Bantina multa statuitur et ipse Appianus, ubi de exigenda pœna verba facit (I, § 138), priorem tantum pœnam commemorat, scriptorum neglegentia pœnas, olim sicut in lege Bantina inter magistratus et senatores distinctas, contractas esse censeo. Quibus probatis, quomodo res acciderint, in aperto est.

Quod igitur supra negleximus, quanta sit fontis x fides in narrando Metelli exilio, nunc inspiciamus. Qui hæc tradit (pg. 32 sq.): Marium secutus Metellus sese iusiurandum non præstaturum in senatu dixit neque, cum quinto die Marius, tamquam populum timeret, legi obtemperaret, de sententia demovebatur, sed dolo a Mario viro improbo captus, quia pœnam suscipere nolebat, Saturnino accusante e patria cessit. Quæ narratio ad Mari detrectationem se compositam esse ipsa testatur:

1. Iniuria soli Mario inconstantia crimini datur, quia totus senatus, primum cum Metello fecisse, deinde nihilominus iusiurandum præstitisse dicitur.

2. Si, quod doli excogitatio postulat, Marius sciebat, Metellum a iuris observatione severissima numquam recessurum esse, omnino artificio non opus erat, sed in legem per vim rogatam eum non iuraturum coniectare poterat.

Etiam formula εἴπερ κ. τ. λ., qua iusiurandum Marius circumscripsisse dicitur, nullam habet in se veritatis commendationem. Re vera enim effecit, ut certa conditione iurisiurandi vis et religio tollerentur: itaque magistratibus talem clausulam vel ioci vel

---

[1]) cf. C. I. L. I, pg. 45—47 in linea 23 sq. e lin. 19 sq. eiectio e senatu restituenda est (cf. Mommsen St.-R. III, 885); lin. 9 magistratus, qui contra legem fecerint, multantur.

[2]) a. 59 ἐπιτίμια eis, qui non iurarent, lex minabatur Dio Cass. XXXVIII, 6, 7. App. II, 12, Plut. Cat. min. 32; secundum Appianum causa non capitalis erat. Minorem pœnam recusantibus Cæsar maiorem pollicebatur optimatesque, ne in exilium mitterentur, cesserunt. Omnia igitur congruunt.

doli causa sua sponte addere licuisse nemo credet. Neque autem e nihilo ficta est; concludere igitur debemus in omni eiusmodi iureiurando adhibitam esse, quod minime mirandum est. Ceterum bene sese habent, quæ e Ciceronis verbis conclusimus (pro Sestio 38; 101; pro Plancio 89; cf. Val. Max. III, 8, 4, pg. 23). Metellus sententiam rogatus, cum ceteros se secuturos esse speraret, censuit, ut, quod per vim[1]) et contra auspicia (auct. de vir. ill. 73 = App. cf. pg. 31. Mommsen St.-R. III, 367, 2. 5) rogata esset lex, senatores iusiurandum denegarent. De Mari dolo neque Cicero neque Livius quicquam præbent. Qui eo magis fingi potuit (Drumann II², pg. 232 verum esse cogitat), quod Mario consuli fortasse ante senatores iurandum erat.[2]) — Recte, quæ sequuntur, Appianus narrat. Metellum, qui pœnam lege decretam subire nolebat, Saturninus coercitione senatu movere conabatur (cf. Mommsen St.-R. II³, 298 sq.: exemplum, quod plane cum nostro congruat, non invenitur); intercedentibus vero tribunis, causa tribunicia instituta adversarium reum fecit, ne ipsius auctoritas frangeretur, si impune Metellus sibi restitisset (cf. App. § 139; Livius pg. 26; Plut. 362, 5; Mommsen St.-R. II³, 298 sq., 299, 3, 324, 2; Strafrecht 174, 3; 556 sq.). Quam causam ut impedirent, auxilium armatum amici Metello promiserunt (Cic. pro Plancio 89; Livius [Oros. Per.]; Plut. App.); at vir iustus concordiæque publicæ quam sui amantior id repu-

[1]) Cic. pro Sestio 101, Liv. cf. pg. 29, auct. de vir. ill. 62,2 cf. Dio Cass. XXXVIII, 6, 7, Plut. Cat. min. 32; reicienda fontis ignoti narratio, quæ leges „perniciosas“ dicit; tali enim argumento nixus nescio an sententiam ferre potuerit, iusiurandum esse recusandum (cf. 30, 1); idem de Plutarchi *νόμος μοχθηρός* (c. 29, pg. 361, 2) valet cf. pg. 34.

[2]) Lex Bantina constituit, ut magistratus (lin. 17, 18) quinto post legem rogatam die *„pro æde Castoris palam luci in forum versus“*, senatores decimo die (lin. 24) *„apud quæstorem ad ærarium“* iurent (cf. Mommsen St.-R. I³, 620, 4). Quæ si consideramus, discrepantiam, quæ exstat inter scriptores, componere licet. Fortasse etiam in lege Appuleia distinctum erat inter magistratus, ad quos Plutarchi *βῆμα* (pg. 361, 15) pertinebat (cf. Richter, Topographie der Stadt Rom, pg. 87, de rostris apud ædem Castorum), et senatores, ad quos Appiani *ἐς τὸν τοῦ Κρόνου νεών, οὗ τοῖς ταμίαις ἐχρῆν ὀμνύναι* (I, 31, § 137) referre velim (cf. Mommsen St.-R. I³, 620; II³, 546, 3). De dierum distinctione nihil audeo suspicari (Appianus I, 30, § 136 quinque dies præbet).

diasse dicitur (adde Cic. post red. sen. 25 in Pis. 20 ad fam. I, 9, 16). Quoniam autem omnes fontes ei magnopere favent, fortasse propius ad veritatem accedit sententia, quam aliis locis Cicero profert (cf. pg. 22 sq. post red. sen. 38, pro Sestio 37, pro Cluentio 95): Metellum a senatu desertum in exilium migrasse, quod damnationem prohibere non posset. Certe ante causam peractam profectus est[1]): quam ob rem legitime ei aqua et igni (Plut. pg. 362, 5, Per. 69 et ceteri) interdictum nec non ipsa causa peracta est.[2]) Marius consul interdictionem renuntiavit (App. I, § 140, Plut. pg. 362, 5, Liv. Per. 69, Mommsen St.-R. II[3], 139).

Quæ omnia, ut legitime acciderunt, ita scriptorum studio et odio depravata sunt. Tamquam res inaudita sanctio describitur, pœnaque, quam constituebat, augetur et unius Metelli causa addita esse dicitur. Mari artificio Metellus, ut iusiurandum recuset, adducitur; pertinaciæ opprobium in constantiæ gloriam vertitur. Clausula necessaria Mari calliditati deberi dicitur. Metellum pœnam legitimam suscipere noluisse plerique non commemorant, cum contra de Saturnini arrogantia et violentia permulta narrent. Exilium, quod necessitate coactus suscepit, patriæ pacisque amori tribuitur. Renuntiatio autem interdictionis, per Marium facta, ad innatam Mari improbitatem et odium in inimicum refertur, cum in ea re consulis tantum officio functus sit. Non miramur denique, quod secundum eosdem auctores nullo alio, quam Metelli expellendi consilio Saturninus legem rogavit, immo tribunatum, ut Marius consulatum, petiit.

Comitante Aelio Stilone (Suet. de gramm. 3 Reiff) Rhodum Metellus sese contulit (Plut. c. 29 fin).

---

[1]) App. (I, 31, 140, 6, 7) cf. supra pg. 36, idem Livius pg. 19; Cic. pro Sest. 37, pro Planc. 89, de rep. I, 6 optime quadrant; cf. de domo 82, qui locus, quoniam Saturninus *„ut interdictum sit“* rogare potuisse dicitur, Metellum afuisse testatur. Schol. Bobb. pg. 347 O. Exilium etiam post damnationem nonnumquam concedebatur; Mommsen, Strafrecht pg. 72, 2.

[2]) cf. App. (I, 31, 140, 7), Cic. de domo 82, Oros. V, 17, 4, Mommsen, Strafrecht pg. 71 sq., Staatsrecht III, 51 sq.

4. Quid inter comitia tribunicia et Saturnini interitum acciderit.

Comitia tribunicia a. 100, si recte e scriptorum silentio quicquam concluditur, sine vi et seditione habebantur designatique sunt L. Saturninus III, L. Equitius, P. Furius (pg. 96), S. Titius (pg. 99), Cato, Pompeius (pg. 97,2). Quorum cum profecto Cato Pompeiusque Saturnini adversarii fuerint, quæritur, quid de Equitio, quem anno 101 Saturninus dereliquerat (pg. 61), iudicandum sit. Atque, quamquam Orosius (V, 17, 9 sq.) in occisorum enumeratione Equitium omittit[1]) Appianique seditiosis infensissimi enuntiatum I, 33, § 146: ἡ τῶν δημάρχων ἀρχὴ τοιάδε ὕβριζε (de Saturnino) καὶ τοιάδε ἔπασχε (de Equitio), quod Equitium commiseratur eiusque commemorationem a ceterorum occisorum discernit (πολὺς δὲ καὶ ἄλλος ὅμιλος κ. τ. λ.), difficultatem præbet, Ciceronis (pro Rab. 20) Valerique (III, 2, 18) testimonia, secundum quæ cum popularibus fecit, spernere audaciæ est. Atque etiam Sauffeium quæstorem plerumque omitti moneo, quamquam sine dubio tamquam Saturnini amicus occisus est.

Memmium[2]) vero candidatum consulatus, graviter comitiorum consularium die erumpente seditione (Oros. V, 17, 5. Flor. II, 4, 4; auct. de vir. ill. 73; Amp. 26, 3; Cic. Cat. IV, 4; Vell. II, 12, 6; App. Plut. 30, pg. 362, 21: σφαγαί), sive in ipso campo (Flor. auct. de vir. ill. Amp. App.), sive fugientem (Oros.) P. Mettius quidam interfecit

---

[1]) Cic. pro Rab. 20 *„tribunos præter Saturninum“* de tempore ante a. d. IV Id. Dec. agit, quo nondum Equitius tribunatu fungebatur. In elogio Mari C. I. L. I², pg. 195, utrum unus an duo tribuni significentur propter compendium ‚trib.‘ adhibitum ignoratur. Auct. de vir. ill. 67, 3, qui fortasse ad elogium redit, Saturninum solum exhibet.

[2]) Vulgo (Bardey p. 54, Marx, Bonner Studien, pg. 116, Ziegler l. l. pg. 9) Memmium nostrum tribunum a. 111 esse dicunt (Sall. Iug. 27, 2; 30, 1—34; Cic. Brut. 136, de orat. II, 240, 267, 283) favente nomine, sed dissentientibus moribus et animo. Habemus ex. gr. prætorem eiusdem nominis et temporis apud Val. Max. VIII, 5, 2: Cic. pro Font. 24. Ceterum nomen haudquaquam constat: M*e*mmius: App. Per. 69, Oros. (sed cod. optimus L. M*u*mmius); M*u*mmius: auct de vir. ill. 73; Flor. II, 4 cod. B. O; Meummius N.

(Oros.); quoniam ligno subito arrepto secundum Orosium et App. 32, 142 crimen perpetratum est, præmeditatio excluditur. Quod Vell. II, 12,6 et Plut. 362, 21 de armis loquuntur, id contra testimonium disertum Appiani, propter Livi similitudinem non e seditione Gracchorum repetitum (cf. de talibus pg. 46, 1), non valet; neque probabiliter Bardey (pg. 57) Saturninum purgare conatur, cui omnes auctores (Oros.: per P. Mettium interfecit; Flor.: interfici iussit; auct. de vir. ill.: necandum curavit; App. 32, 142 ὁ Γλαυκίας καὶ ὁ Ἀπουλήιος (cf. pg. 38:) ἐπιπέμπουσι κ. τ. λ.) cædem crimini dant, diversas cædis causas afferentes, alii (Liv.) fortitudinem Memmi, alii (auctor ignotus) Glauciæ petitionem. Hanc alteram et odium in populares, quod sapit, improbat, et præterea Ciceronis verba, quibus Glauciam (Brut. 224), quod per leges petere non licebat, a petitione consulatus destitisse significatur: nam verba, quibus illo loco utitur, adhibere non potuisset, si per vim Glaucia consulatum petiisset et interfecto Memmio idcirco solum non adeptus esset, quia ipse antea occisus esset. Nondum igitur omne ius spernere populares audebant. Si recte supra exposuimus (pg. 59), primo comitiorum die Antonius creatus, Memmius occisus est, altero A. Postumius Albinus (Fasti Capitol.: A. Po . . . .; Fast. Hydat: Albino; Chron. Pasch. Ἀλβίνου; Obs.: A. Posthumio; Cassiod: A. Postumius; C. I. L. X, 3781: A. Postumio), vir haud dubie nobilis, designatus est, fortasse competitore populari victo et plebis studio propter nimiam vim iamiam Saturninum deserente.[1])

Nec certiora sunt, quæ de rebus inter Memmi cædem et senatus consultum gestis, in primis de Mari ad optimates transitu, legimus. Cicero omnino nulla de ea re verba facit; secundum Livium (cf. pg. 27) ipso comitiorum die Marius pro nobilibus

---

[1]) Antonius armato S. C. populo cum præsidio extra urbem erat (pg. 13). Neque vero tamquam cos. design., sed tamquam prætorius pro consule (Cic. de orat. I, 82, Brut. 168, Per. 68, Obs. 44, Klebs Pauly-W. I, 2590 sq.: a. 102 Ciliciam obtinuerat) imperio fungebatur (cf. Staatsrecht I³, 694, 5 ubi invenies Sall. Hist. orat. Phil. 22, Catil. 30, Ascon. in Mil. pg. 46 K, Dio Cass. 40, 49, 5, Cæs. b. civ. I, 5 = Cic. ad. fam. XVI, 11, 2; Mommsen St.-R. I³, 689, 1; 693, 4; 694, 7).

orationem habuit, qua senatum populi furori eripuisse videtur. Recedit paulum Plutarchi opinio: cum audaciorem in dies Saturninus se gereret, Marium, qui vim non probaret sed resistere non auderet, dubium hæsitasse et quamquam tribuno devinctus esset, etiam senatoribus aurem præbuisse. Denique senatus equitumque consensu eum adductum esse, ut senatus consulto pareret. Quæ apud Appianum legimus de transitu incerto, de amicitia cum Saturnino servata, quamvis populus ipse illum respueret, de cunctatione in ipso parendo adhibita (cf. I, 32, § 144 ἀχθόμενος... σὺν ὄκνῳ), omnia inspecta Appiani indole retractatori potius tribuemus, quam pro testimoniis accipiemus (cf. supra pg. 38). Restat hoc: Marius a Saturnino post Memmi cædem defecit senatusque consulto paruit. Quando defecit? Ante S. C.: nam patres S. C. non decrevissent, nisi Marium exsecuturum esse cognovissent, præsertim cum Valerius Flaccus nota esset imbecillitate (cf. pg. 20). Scauri adhortatio vero certe non eum ex inimico amicum reddidit, sed iam ab optimatibus stantem, incertum perpulit, ut, si S. C. decretum esset, sese obtemperaturum promitteret. Ad Livium igitur aut Plutarchum recurrendum est. Liviana autem narratio, quæ Marium comitiorum die, animo repente secundum fortunam mutato, ad nobiles transeuntem facit, Plutarchi narratiunculam (c. 30: quo loco a scriptore inserta est, ut cum Livio congruat, eam movere [quod Mommsenus Röm. Gesch. II[8], pg. 205 facit] nolim.), quæ multum temporis incertum cunctantemque eum demonstrat, non admittit. Quam tamen solito usus acumine Mommsenus (l. l.) non a posterioribus scriptoribus inventam, sed ipso illo tempore Romæ ab inimicis fictam esse cognovit. Quapropter Livius reiciendus est, Plutarchus in eo probandus, quod Marium post Memmi cædem nondum totum se optimatibus dedisse dicit. Re vera enim equites demum cum senatu conspirantes eum permovisse videntur (cf. Cic. pro Rab. 20, 21, 27, cf. 24. Oros. V, 17, 6: *consensui bonorum sese immiscuit,* Plut. pg. 362, 30—32). Perfecto turbulentissimi dies erant, qui S. C. antecedebant: de Saturnino vix credenda circumferebantur, neque solitæ proferri in tribunos se-

ditiosos, „tyrannidis“ criminationes, omittebantur.[1]) Satellites ab eo armari (Plut. 362, 21 ὅπλοι; cf. Elog: *armati,* Cic. pro Rab. 35), servos ad libertatem vocari (Val. Max. VIII, 6, 2) rumor erat. Rem denique in discrimen adduxit senatus consultum; quod quo iure patres decreverint, nemo quæret, qui Memmi cædem regalisque nominis usurpationem Saturnino suppositam esse (Flor. II, 4, 4) considerabit.

Cur vero senatus, quoniam non statim post Memmi interitum aliquid statuerat, tum præcipue intercesserit, plerumque Capitoli occupatione explicatur probantibus Cicerone (pg. 11, 1) et Appiano (I, 32, 143).

Diversam autem opinionem Livius (Oros. Flor. cf. Amp. 26, 3) et auctor de vir. ill. (73, 10) et Plutarchus (c. 30, pg. 363, 1: καταδιωχθέντας αὐτοὺς εἰς τὸ Καπετώλιον εἷλε δίψει) proferunt: pugna in foro commissa Saturninum victum in Capitolium sese recepisse dicunt. In Mari elogio (C. I. L. I², pg. 195) res quidem tangitur; sed quoniam perfectum neque plusquamperfectum adhibetur (*„qui armati Capitolium occupaverunt“*), æquo iure et ante et post S. C. collocatur (Cæsar bell. civ. I, 7, 5 plane in universum loquitur). Si vero tecum reputas, Appianum senatus consultum aperte fictum nobis proponere (cf. pg. 38) eundemque in rerum ratione afferenda sæpe nimia licentia esse, Ciceronis interfuisse occupationem transponere, ut Appulei facinora augerentur, Livianam narrationem præferes. Eaque præterea magnopere probabitur consideranti, quomodo ad vincendos populares Marius copias disposuerit; quod nisi e fonte sat bono fluxisset, non tam aperte intellegeretur. Mari autem belli gerendi consilia Capitolium nondum occupatum esse postulant. Armato enim populo (Oros.: *manipulatim plebe descripta;* App. 32, 144, Cic. cf. pg. 14; auctor de vir. ill. 73), postquam in comitium senatus convenit[2]), non Capitolium Marius

[1]) cf. Oros. Flor. Plut. 30, pg. 362, 21, 22 *ἐπὶ τυραννίδα καὶ πολιτείας ἀνατροπὴν*; de Ti. Graccho Plut. Tib. Gr. 19; Flor. II, 2 auct. de vir. ill. 64, 7; cf. Schwartz, Gött. Gel. Anz. 1896, pg. 792, Kornemann l. l. pg. 32—34.

[2]) Ita recte Cic. pro Rab. 21 cf. pg. 18. Aedes Sancus haud procul a comitio aberat: Dion. Hal. IX, 60; Hülsen, Rhein. Mus. 49, pg. 409 sq.; Richter Topographie der Stadt Rom², pg. 289.

obsidebat, sed Valerium collem Quirinalem occupare iussit (Oros.), ut urbi immineret et, quacumque opus esset, auxilium ferret. Ipse vero, haud dubie ne ex agris auxilia Saturnino advenirent (ita fortasse rusticorum introductio quodammodo excusatur), portas communivit Antoniumque extra urbem (in Janiculo?) cum præsidio collocavit (Cic. pro Rab. 26). Quæ omnia et pugna in foro commissa non intelliguntur, si ante senatus consultum populumque ad arma vocatum Saturninus Capitolium tenebat. A Mario igitur caute undique circumventus prœlioque devictus in Capitolium, firmissimum urbis præsidium, sese recepit (idem anno 88 ipse Marius fecit: Oros. V, 19, 5; Flor. II, 9, 7). Non Capitoli occupatio, ut concludamus, optimates ad senatus consultum ultimum decernendum impulit, sed quod Marius, tempus sat magnum cunctatus, se senatus consulto obtemperaturum esse promisit.

5. De Saturnini interitu.

Locum, ubi seditiosi obsidebantur, plerique auctores Capitolium vocant[1]; quod, si usum severiorem sequimur, ipsum templum tantummodo[2]), si paullo liberiorem, totum collem significat.[3]) Sed de solo Capitolio agi e Cicerone (§ 31 *fistulas, quibus aqua suppeditabatur Jovis Optimi Maximi templis ac sedibus, præcidi imperarat,* e. q. s.) et Appiano (I, 32, § 144 ἕτεροι τὸ ὕδωρ ἐπιρρέον ἐς τὸ ἱερὸν διέτεμον. καὶ Σαυφήιος μὲν ἐμπρῆσαι τὸν νεών. . . . ἠξίου κ. τ. λ.)

---

[1]) Oros. V, 17, 7; Flor. II, 4, 5; auctor de vir. ill. 73, 10; Amp. 26, 3. Elog. Mar. C. I. L. I², pg. 195 Schol. Bobb. pg. 277; 347 Or. App. I, 32, 143; Plut. pg. 363, 1. 2.

[2]) Hülsen, Pauly-Wiss. III, 1531; Jordan, Topographie I, 2, pg. 34—36.

[3]) Jordan I, 2, 7. Totius collis appellationem sollemnem cum Cicero pro Rab. 35 usurpet (‚*Capitolium atque arx*‘), aliquis suspicetur, neglegentia ceterorum scriptorum factum esse, ut plerumque breve ‚*Capitolium*‘ ponatur, re vera autem totum collem intelligendum esse (atque Florus II, 4, 6 quidem de ‚arce‘ loquitur). Sed Ciceronis verba, quoniam in ornatissima orationis parte exstant, minima premenda sunt, præsertim cum ipse Cicero nonnullis aliis locis vocem ‚Capitolium‘ habeat (§ 20. 21. 22. 23. 35: *si Capitoli <um cum armatis occupa> visset.*

concludendum est.[1]) Mitto enim, quod et hic et illic expressis verbis templum commemoratur: cum incisis fistulis ad deditionem coacti esse dicerentur seditiosi, arcem non una cum Capitolio tenuerunt. Quam si tenuissent, non magis quam in obsidione Gallica aqua eos defecisset.[2])

Atque quominus ita censeamus, neque ea, quæ præterea de Saturnini obsidione traduntur, repugnant. Pugna, quæ secundum Orosium V, 17, 8: *„in aditu Capitoli“* commissa est, ni fallimur, circa fores, quæ mediam frontem meridianam ornabant, erat.[3]) Ad eandem eruptionem pertinere putanda sunt verba Ciceronis § 31 *„quod in clivo Capitolino improborum civium ⟨manum devicisset⟩,* quæ, post fistulas incisas collocata, neque ad pugnam in foro consertam spectant neque cædem Saturnini in curia factam significant.

Contortam, propter fontium exilitatem, de Saturnini exitu quæstionem ita aggrediamur, ut a Cicerone proficiscamur. Atque Marium ipsum fidem dedisse (cf. supra pg. 10 sq.) auctor ad Her. IV, 31, auctor de vir. ill. 73, 10 (*„nec deditis fides servata“*) Plutarchus c. 30, pg. 363, 2 (ἐκεῖνον ἐκάλουν καὶ παρέδωκαν σφᾶς αὐτοὺς διὰ τῆς λεγομένης δημοσίας πίστεως) certe non negant. Quam quod magistratus legitime dare non poterat nisi plebiscito aut senatus consulto iussus,[4]) Marius sive iure belli vigente tamquam imperator præstitit (Mommsen, St.-R. III, pg. 1065, 4), sive potius, ut e Cicerone conclusimus (pg. 11), contra ius egit. Certe vero

---

[1]) Aquarum Marciæ et Tepulæ; cf. Jordan I, 1, 465 sq.; Aqua Marcia a. 140 in Capitolium perducitur cf. Epit. Liv. Oxyrrh. Kol. VII l. 188—190; Kornemann, Die neue Liviusepitome: Klio: Beitr. z. alt. Gesch. 1904, 2. Beiheft, pg. 63. Putei igitur, quos Jordan in Capitolio investigavit (I, 1 adn. 80. I, 2, pg. 124 adn. 79), sive omnino non erant, sive ad usum non suppeditabant.

[2]) Jordan I, 2, pg. 124: Cicero de rep. II, 11 arcem spectare videtur; Jordan I, 1, pg. 452. Falso igitur Florus l. l. de arce cogitat.

[3]) Jordan I, 2, pg. 36. 64. qui App. 1, 16 adhibere non debuit. Hülsen, Pauly-Wiss. III, 1536.

[4]) Cic. pro Rab. 28; Mommsen St.-R. III, 1065. Strafrecht 457, 2; Livius VIII, 18, 5 Cic. Cat. III, 8; Sall. Cat. 30, 6; 47, 1; App. I, 54, § 239; Mommsen St.-R. III, 1229 cf. 338, 1.

senatus consultum nullum factum est; an senatum arma deposuisse, et postquam, ut reciperentur, decrevit, rursus cepisse credis?

Quod autem apud Florum atque Livium (Orosium et Periocham dico) fidei datæ mentio non fit, id Ciceronis testimonium, hac in re tenacissime retinendum, non refutat. Nam verba (II, 4) „*senatui* (Saturninus) *per legatos pœnitentiæ fidem fecit*“ aperte docent, Florum fidem Saturnino datam male intellexisse atque noto omnia argute dicendi studio pœnitentiam pro deditione posuisse. Quid enim Mari interfuit Saturninum aut animo pœnitentiam habere aut verbis eam exprimere? Liviana autem narratio cum fide data conciliari potest: Orosius interposito dicto illo Saturnini de Mario „*omnium molitionum suorum auctore*“ (V, 17, 8), a pugna cum optimatibus in aditu Capitoli commissa, cuius exitum verba „*multi circa Sauffeium et Saturninum cæsi*“ indicant, Saturnini mortem manifesto secernit. Atque hic optimo iure fidem datam interponimus. Quam Marius secundum Livium dedisse videtur opprobrio permotus, quod, ut consulem milites desererent, magna voce Saturninus ei clamaverat.

Atque quoniam fides publica certa conditione semper concedebatur[1]), quid seditiosi præstare debuerint, quæritur. Deditionem afferunt auct. de vir. ill. 73, 10, Appianus (I, 32, § 144 παρέδωκαν ἑαυτούς), Plutarchus (pg. 363, 3 παρέδωκαν σφᾶς αὐτούς) non recte, quod ad ipsam vocem (quæ in exteras tantum gentes adhibetur Mommsen St.-R. III, 55), bene, quod ad rem. Melius autem dicatur: uni cuique seditiosorum ea conditione, ut de Capitolio sine armis descenderet, fides publica i. e. impunitas promissa est. Ita quoque fieri potuit, ut Sauffeius cunctaretur (App. I, 32, § 144) et post socios demum Capitolium relinqueret; quod, si omnes simul sese dedidissent, stare non posset. Atque re vera non ut deditos (Schol. Bobbiens, pg. 277, 347 Or.) comitante præsidio eos in curiam deductos esse videmus, sed longe

---

[1]) cf. App. I, 54, § 239 Sall. Cat. 30, 6; Cic. Phil. V, 34, VIII, 33; Mommsen, Strafrecht pg. 457, 4. Nulla condicione Cæseris interfectoribus data est, nisi forte ‚valere Cæsaris acta‘ eam dicas, cf. Cic. Phil. I, 1; Vell. II, 58 App. b. c. II, 135, § 563.

aliter res accidit. Primum enim, data fide cur in curia eos Marius sive incluserit sive intrare invitarit, parum patet. Deinde Plutarchus (pg. 363, 5) eos in forum descendisse (κατιόντας εἰς ἀγοράν), Orosius et auctor de vir. ill. 73, 11 *in curiam confugisse* dicunt. Jam Glaucia [1]) in domo privata quomodo mortem obierit, non explicatur, si omnes simul in curia inclusi et cæsi sunt.

Necessitate igitur quadam coacti seditiosi curiæ refugium petierunt, ut locus sacer inimicos arceret.[2]) Atque cum instigante Mario (Oros. V, 17 „cogente Mario"; cf. Plut. pg. 363, 4; App. I, § 145 qui, quamquam sæpe nimius in excusando Mario est, hic veritatem sequi potest) eo sese recepissent, contra consulis voluntatem oppugnati sunt. Omnia denique comprehendens ita rem accidisse opinor: cum seditiosi de Capitolio degressi eo venissent, ubi clivum Capitolinum fori area excipit, optimates qui eos obsederant, violata fide in eos impetum fecerunt. Marius autem, qui sua sponte nullo S. C. facto fidem dederat, ne opprimerentur, quibus potuit, facultatem fecit, ut in curiam Hostiliam evaderent, cum alii aliis viis fugam peterent.

Sed frustra. Secundum auctorem de vir. ill. 73 et Appianum enim hostes ascenso tecto tegulis lapidibusque seditiosos necaverunt, secundum Orosium et Florum fores effregerunt. Utra ex his narrationibus, — vix recte enim inter se coniunguntur —, præferenda sit, Cicero docet, ubi de Rabiri defensione ab Hortensio habita verba facit (pro Rab. 18; 31). Quomodo enim statui potest, quis quem lapidem vel tegulam iecerit? At quis Saturninum comminus ferro occiderit, vel certe percusserit, testibus adhibitis patrono quidem coarguere fas est. Florus, qui Livium secutus effractas fores commemorat, præterea saxa introduxit eo consilio

---

[1]) Secundum Orosium et auctorem de vir. ill. 73, 11, quibus fides habenda est. Nam ceteri, qui sive in curia (Appianus I, § 145. Velleius II, 12), sive certe una cum Saturnino (Plut. Schol. Bobb. l. l.) eum occisum esse tradunt, quæ distinguenda erant, neglegentia confuderunt potius quam Orosius et auctor inter similia distinctionem instituerunt.

[2]) Templum curia erat: Varro apud Gell. XIV. 7, 7; Liv. I, 30, 2 Sen. ad Æn. I, 446; VII, 153; XI, 235. Cic. pro Mil. 90 pro domo 131. 137. Jordan Topographie I, 2, pg. 328.

ut fontes suos contaminaret (cf. supra pg. 28). Quomodo autem altera narratio nata sit, non apparet; sive exornandi causa aliunde translata vel ficta [1]), sive ab optimatibus, ut crimen profanatæ [2]) curiæ abluatur, excogitata est: nam ut Pausaniæ regis exitus docet, sanguine effuso multo magis quam ipsa morte loca sacra polluebantur. Plane ex narrationis exornandæ consilio [3]) Appiani verba I, 32, 145: ‚ἔτι περικειμένους τὰ σύμβολα τῆς ἀρχῆς' deducenda sunt: seu de veste, seu de ornamentis (cf. b. c. I, 71 § 326) cogitas, hoc in tribunum et quæstorem (Mommsen St.-R. I[3], 365; II[3], 283), illud in tribunum non quadrat (Mommsen St.-R. I[3], 403, 418, 2; II[3], 283); quo accedit, quod Glaucia non in curia occisus esse videtur, sed, ut suspicati sumus, in domo Claudi, ab ipso C. Claudio (cf. pg. 18, Phil. VIII, 15), cum e foro eo fugisset. Locus igitur ille nihil aliud significat quam „in magistratu" eos occisos esse. Dolabella et Giganius, quos in foro holitorio fugientes necatos esse Orosius testatur, cum irrumpentibus hostibus fugiendi e curia occasio certo nulli daretur, sive, ut Glaucia, e foro eo pervenerant, sive potius fidei omnino diffisi (cf. Sauffei cunctationem) e Capitolio per centum gradus [4])

---

[1]) Sed a scriptore sat antiquo, quoniam auctoris de vir. ill. et Appiani consensus ex antiquo fonte fluxisse videtur.

[2]) Rabirium etiam profanatæ curiæ reum factum esse recte Mommsenus negat. cf. Cic. pro Rab. 7; Strafrecht 568, 1; 809, 1; 811, 3.

[3]) Talia fons Appiani adamat: b. c. IV, 93 (389) *ἐσθῆς ἱερά* II, 121. 122 (509. 511) *ἐσθῆς στρατηγική* et *ὕπατος* quod, quid sit, ignoratur; noster locus pæne ad verbum repetitur I, 54 (238) I, 71 (326) cf. I, 16 (68).

[4]) Quam coniecturam locorum conditio confirmat. Sane neque quando centum gradus exstructi sint (Jordan I, 2, 132. 130; Hülsen, Pauly-Wiss. III, 1536; ætati sat antiquæ iure vindicari videntur secundum Jordan l. l. et Hülsen, Festschrift für Kiepert, pg. 212), neque unde initium ceperint (Hülsen Aequimelium suspicatur), constat. Primum apud Tac. Hist. III, 71 occurrunt, sed iam in seditione Gracchana commemorantur ab Orosio V, 9 2 sub nomine ‚*gradus, qui sunt super Calpurnium fornicem*'; neque recte viri docti (Jordan I, 2, 63; Hülsen, Festschr. f. K. l. l.; Kornemann, z. Gesch. d. Gr. pg. 4 sq.) locum cum Velleiano II, 3,2 comparantes de clivo Capitolino cogitant. Velleium enim hoc loco e Livio hausisse haudquaquam constat. Atque quoniam clivus, in quo curru vehi licebat, per gradus non ascendebat, nil aliud nisi compendium aream templi cum clivo coniungens significari potest. Multo magis autem Gracchum per alium locum evadere conatum esse placet, cum præsertim nihil impediat, ne sub rupe Tarpeia prope vicum Jugarium illum ‚*fornicem Calpurnium*' fuisse ponamos (cf. Richter, Topographie d. Stadt Rom[2], pg. 119).

evadere conati erant. Quod autem Furi rogationem Dolabellæ Giganique morti Orosius præmittit, in ea re iustum temporis ordinem turbavit, quia profecto comitia non habebantur, antequam pugna cum seditiosis cessavit.

Restat, ut quo consilio Marius egerit, quantum licet, inspiciamus. Plutarchus (pg. 363, 2) et Appianus (§ 144) tradunt, Mari amicitia confisos seditiosos cum consule collocutos esse ab eoque tamquam ab amico fidem accepisse. Quod ut a Liviana narratione plane abhorret (cf. Saturnini criminationem apud Orosium narratam), ita etiam cum ipsius Appiani verbis conciliari nequit: nonne, si in Marium sperassent, eum arcessivissent, antequam ultima necessitate coacti essent. Atque Appianum Mario favere et pro eo veritatem retractare vel hoc exemplum probat. Seditiosi igitur non cum amico, sed legitime cum consule, qui copiis præerat, collocuti sunt et ipse Marius tamquam magistratus, qui, ut seditionem sedaret, magis studebat, quam ut populares interficeret, fidem dedit, fortasse veteris amicitiæ memor. Quod ad causam deditionis attinet, sitim, qua supra ad tempora notanda usi sumus, Appianus et Plutarchus præbent, cum ceteri de fistulis incisis tantum et de timore sitis verba faciant. Fieri potuisse, ut pro fistulis incisis scriptor quidam ipsam sitim fingeret, negari nequit atque profecto Livi de eruptione repulsa narratio minorem suspicionem movet. Cur vero non et hoc et illud retineamus, nullam causam esse video. Etiam hoc monendum est, fistularum mentionem non apud omnes auctores futuram esse, nisi gravissimi in seditione reprimenda fuissent momenti.

Cædis crimen ne Plutarchi quidem fons, qui Mario inimicissimus est (pg. 363, 6, 7), ei tribuit seditiosorumque victor tantum non interfector prædicari solet.[1]) Et si quidem eo, quod

---

[1]) Elog. C. I. L. I², pg. 195. Cic. pro Planc. 88 pro Mil. 8. 83 auct. de vir. ill. 67, Velleius II, 12 Ampel. 26, 3. Cic. Cat. III, 15 ex oratoris certo consilio explicatur cf. contra Cat. I, 4: *num unum diem postea L. Saturninum tribunum pl. et C. Servilium prætorem mors ac reipublicæ pœna remorata est?* cf. Schol. Bobb. pg. 277 Or.

seditiosos non servavit, fidem violavit (Cic. Rab. 28 cf. pg. 9 sq. auct. de vir. ill. 73), invito, non imperante eo occisi sunt: quod Orosius et Plutarchus expressis verbis testantur, si tantum fidei Appiano habendum esse negabis. Interfecti tribuni culpam in equites Orosius transfert; quod Rabiri nomine (Cic. pro Rab. 31) confirmatur, cum de Q. Crotone, cuius ordinis fuerit, compertum non habeamus. Diiudicari autem nequit, utrum apud Orosium veritatem deprehendamus, an optimates equitibus invidiam facti imposuerint.

Neque ex eo, quod Q. Crotonis servo libertas data est, quicquam de Mario cædis auctore probatur: nam etiam si orationem Hortensi teneremus, dubiosissima habenda essent, quæ de viro iamdudum, ut videtur, mortuo disputabat; nunc, cum ex Ciceronis defensione solum de ea re sciamus, prorsus ea uti non licet. Deinde, si edicto consulari ei, qui seditiosos occidisset, præmium promissum esset, non solum servis, sed etiam liberis antea constitutum esset[1]), quod negat Cic. pro Rab. 31: *quod equiti Romano præmium dari par fuisset?* Commisso autem semel crimine etiam invito Mario fieri potuit, ut senatus servi interfectoris manumissionem decerneret.

Saturnini domus solo æquata est (Val. Max. VI, 2, 1). Leges eius, quod per vim et contra auspicia rogatæ essent, ut e Cic. pro Balb. 48 (cf. de leg. III, 6, 14) apparet, abrogatæ sunt (Mommsen St.-R. III, 367, 2).

6. De ultione, quam a popularibus optimates petierunt.

Occiso Saturnino non minore crudelitate in socios æmulosque eius nobilitas sæviebat. Secundum Orosium P. Furius trib. pl. rogationem tulit, ut eorum, qui contra rem publicam fecissent,

---

[1]) Ita anno 121: Vell. II, 6, 4; Plut. C. Gracch. 17; Kornemann, Gesch. d. Gr., pg. 16; anno 89: App. I, 54, 239. — Anno 88 post senatus consultum edictum datum est. Qua de causa et a senatu (Flor. II, 9, 8 Per. 77 Amp. 42; Val. Max. I, 5, 5; III, 8, 5; VIII, 2, 3; Plut. Sulla 10; Marius 40; Mommsen

bona publicarentur. Ne enim ad solos Saturninum et Glauciam legem pertinuisse arbitremur, Gracchana seditio monet.[1]) De tempore rogationis postea videbimus; rectene Orosius in ipso cædis die eam collocaverit, supra addubitavimus. Quod etiam si suspicionem non moveret, Mommsenus, qui anno 100 Furium tribunum fuisse facit (St.-R. II[3], 323, 2), probandus non est, quoniam a. d. IV Id. Dec. tribuni novi iam magistratu funguntur. Optimo autem iure anno 99 tribunatum assignari demonstrare conabimur.

Cicero pro Rab. 24 tradit, C. Decianum damnatum esse, quod in P. Furi accusatione de Saturnini morte ita locutus esset, ut optimates offenderentur. Quod idem Valerius Maximus (VIII, 1 damn. 2) refert narratione partim e Cicerone, partim ex alio fonte deprompta.[2])

Præter Deciani aliam Furi causam Dio Cass. XXVIII, frg. 95, 3 et App. I, 33, § 148 commemorant, hic a C. Canuleio trib. pl. eum anno post tribunatum, ille propter tribunatus actiones accusatum esse, uterque eum a populo irato interfectum esse tradentes. Quo anno Canuleius tribunus fuerit, aliunde non compertum habemus. Mommsenus (St.-R. II[3], 323, 2) spreto Appiani

---

St.-R. III, 1245 sq. — dissentiunt: Vell. II, 19, 1; App. I, 60) proscripti esse dicuntur et edicti mentio fit (Per. 77; Val. Max. VI, 5, 7; App. I, 60; neglegenter Oros. V, 19, 6). Mommsenus, loco vita Gord. 11 adhibito, aliter censet (Staatsrecht III, 1246).

[1]) cf. Sall. Jug. 42, 4; 31, 7; Vell. II, 7, 4; Oros. V, 12, 10; Appian. I, 26, § 119.

[2]) cf. Klebs Pauly-Wiss. II, 259: Cic.: *hominem omnibus insignem notis turpitudinis* = Val. Max.: *inquinatissimæ vitæ;* Cic.: *queri est ausus de morte Saturnini* = Val. Max.: *de morte Saturnini queri ausus fuerat.* Exemplum, quod sequitur (Val. Max. VIII, 1, damn. 3), coniecturam confirmat, quoniam de Titi causa agit, quæ etiam apud Ciceronem cum Deciani componitur. Sed idem ille locus alium fontem a Valerio præter Ciceronem adhiberi arguit, quia verba *„agraria lege lata gratiosus apud populum“* neque apud Ciceronem exstant aut exstiterunt (in § 25 res plane absolvitur) neque e memoria a Valerio addita esse videntur (cf. pg. 19, ubi æque duos fontes statuimus). Idem valet de verbis *„suffragiis eum tota contio* (Cicero equites affert) *oppressit“* et fortasse (cf. infra) de enuntiato *„nec reum damnavit et insuper ei pœnas addictas pependit“*.

testimonio, quamvis ipse Furi tribunatum in ann. 100 collocet, a. 98 coniectat, recte inter duas causas distinctione facta (aliter Klebs Pauly-Wiss. II, 259). Primam igitur causam habemus Deciani, alteram Canulei, utramque in annum post tribunatum collocandam.[1]) Quoniam autem C. Appuleius Decianus tribunus pl. (Cic. pro Flacco 77; Schol. Bobb. 230 Or.) popularis (Schol. Bobb. Cic. pro Rab. 24), qui L. Valerium Flacum accusaverat (pro Flacco 77), „*in ultionem Appulei Saturnini*“ (Schol. Bobb.) Furium reum fecisse dicitur, non reditum Metelli impeditum, sed rogationem de seditiosorum bonis publicandis ei crimini dedisse videtur.[2]) Difficultas inde oritur, quod secundum Ciceronem (§ 24 „*summo studio bonorum omnium*“) optimates Deciani accusationem adiuverant, secundum Dionem autem (frg. 95, 3) ipse Furius, primum nobilitati infensus, postea lege in Saturninum rogata ad eam transierat. Optimatium igitur auxilio factum esse videtur, ut Deciani causam Furius vinceret. Sed nobilium cogitationes verius fortasse Cicero explanat, cum in Furium acerbissime invehit (pro Rab. 24). Nam eundem eodem illo anno a Canuleio, quod Metelli reditum impedivisset (App. I, 33, § 147; Dio frg. 95, 2), accusatum optimates deseruerunt. Itaque nondum peracta causa tribunicia[3]) a populo laceratus est. Cuius furorem ut explicemus, in promptu est ipsius Metelli reditus, qui, ut videtur (cf. infra pg. 98), iisdem diebus, certe autem cum ingenti plebis studio ac favore factus est (App. § 149; Claudius Quadrigarius frg. 76 Peter).

Si quis vero e Cic. pro Rab. 24; Val. Max. l. l. Schol. Bobb. 230, statim post Furi absolutionem Decianum accusatum esse concludit, id præter rei publicæ consuetudinem, quæ tribunos accusari vetabat, Ciceronis verba (pro Flacco 77: „*ille, qui diem dixit, non potuerit privatus in civitate consistere*“) non patiuntur. Eadem etiam exilium eius testantur (cf. Schol. Bobb. 230). Accu-

---

[1]) tribuni in ipso magistratu accusari non solebant cf. pg. 57.

[2]) cf. Cic. Rab. 24 „*de quo tu sæpe commemoras*“; Labienus igitur Deciani exemplo iure se Rabirium accusare probabat.

[3]) App. l. l. *ὁ δῆμος οὐδὲ τοὺς λόγους ὑπομείνας*; Dio l. l, *ἐν ἐκκλησίᾳ*.

sationis autem causam non solum „*vocem illam*“ a Valerio relatam, sed totam rationem gerendi tribunatus fuisse arbitramur (cf. infra de Titi causa).[1])

Quod triennium:

I. Furi in Metellum actiones (Oros. App.), ad optimates transitus (rogatio de bonis).

II. Furius a Deciano accusatus absolvitur, a Canuleio accusatus interficitur.

III. Deciani causa.

annis 99, 98, 97 contineri (ita etiam Ziegler l. l. pg. 15.) multa est probabilitas (cf. Orosium, qui Furi rogationem seditiosorum cædi subnectit), quamvis argumenta desiderentur. Atque maxime Metelli restitutio, quacum illæ causæ arte cohærent, optime ita explicatur. Quippe qui, postquam Cato et Pompeius[2]) (Oros. V, 17, 11) resistentibus Mario et Furio (Oros. l. l. Plut. pg. 363, 13; App. I, 33 § 147 pg. 40) frustra de reditu ad populum tulerunt, Calidia demum rogatione[3]) restitutus est in patriam. Cuius annus, de quo apud viros doctos non constat[4]), definiri potest. Diodorus enim XXXVI, 16 talia habet: περὶ τῆς τοῦ Μετέλλου φυγῆς ἐπ' ἔτη δύο γινομένων λόγων κ.τ.λ. Cicero autem (post red. ad Quir 11: *de Q. Metello ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius cum A. Albino collega senatum aut populum est cohortatus)* anni 99 rogationes irritas fuisse testatur ita, ut Calidi

[1]) Valeri verba spuria sunt: „*pœnas addictas pependit*“ neque in usum iudiciorum (Mommsen, Strafrecht 491 sq.) neque in legem Remmiam (l l. pg. 495) quadrat. Aut fonti nulla fide digno aut ipsius neglegentiæ tribuenda sunt. Lege Appuleia de maiestate eum accusatum esse Lengle l. l. 32 vult. Nonne autem, quod Titi causam expressis verbis ab equitibus iudicatam esse Cicero dicit, Deciani apud populum actam esse significare potest? cf. verba ‚in contione‘. Quod si concedis, pro communi causa tribunicia ea habenda est.

[2]) Cato fortasse is, quem Gell. XIII, 20, 14 tribunum dicit; ante a. 91 mortuus est (Plut. Cat. min. 1); aliter Pauly R. E. V. 1911 et Ziegler pg. 14 iudicant; de Pompeio cf. Ziegler pg. 15.

[3]) Cic. post red. ad. sen. 38 „*tribunicia rogatio*“ pro Plancio 69 (unde hausit Val. Max. V, 2, 8, cf. IV, 1, 13) ad fam. I, 9, 16 auct. de vir. ill. 62, 3.

[4]) De anno 99 cogitant Münzer P.-W. III, 1318 sq., 1354. Drumann-Grœbe II., pg. 20. Mommsen, Strafrecht pg. 482, 4. Reinach, Mithridate Eupator pg. 99, adn. 4; de anno 98 Ziegler l. l. pg. 15.

tribunatus ad unum ex sequentibus pertinere debeat; certe vero diversus est ab eo anno, quo tribunatu Cato et Pompeius fungebantur, quoniam iis non contigit, ut Metellum revocarent. Si igitur, ut res postulabat, occiso Saturnino statim tribunos in favorem Metelli rogationes tulisse statuimus, Diodoro usi anno 98 rogationem Calidiam tribuemus. Atque optime quadrat, quod supra in anno 99 Furi, Metello inimicissimi, tribunatum, in anno 98 eius mortem collocavimus, propter simillima populi studium voluntatemque cum lege Calidia componendam, quam probabiliter proxime secuta est.

Atque quæ præterea de illis annis comperta habemus, facile cum hoc rerum ordine conciliantur.

Marius, ut Plut. 363, 15 tradit, statim post rogationem latam discessit, cum comitiis censoriis (363, 8), quæ mense Martio vel Aprili ei anni, a quo lustrum incipiebat, habebantur, (Mommsen St.-R. II[3] 352), interfuisset; quod si probatur, annus 98 rogationi Calidiæ demitur. Quoniam vero a Plutarchi fonte Marius tantopere detrectatur, (cf. pg. 40) ex eo, quod censor creatus non est, facillime petitionis repulsa fingebatur. Qua tamquam fictione reiecta, neque annum 98 neque annum 97 aut 96 locus commendat, quia a restitutione Metelli Mari itineris tempus ut pendeat, ita efficitur (Reinach l. l.). Atque recte propter Metelli reditum Marius profectus esse dicitur (cf. Oros. V, 17, 11; Cic. p. red. Quir 11). — Nec certiora e Livio concluduntur, qui Metelli reditum in fine libri LXIX narrabat. Liber LXX autem a M.' Aquilli causa incipiebat, de quo ambigitur, utrum statim redux e proconsulatu [1]) accepta ovatione (de orat II, 195), an anno post (Schanz Röm. Litt. Gesch. I[2], 141) a. L. Fufio reus factus [2]) sit. Quia autem Marius, quem ante Metelli reditum profectum esse scimus, dum ea causa agebatur, Romæ aderat, (de orat II,

---

[1]) Siciliam obtinuerat secundum Holm, Geschichte Siciliens III, pg. 118 a. 101—99, secundum pg. 521 rectius a. 101–100 cf. Per. 69; Obseq. 45; Klebs Pauly-Wiss. II, 325.

[2]) Cic. de orat. II, 124, 188, 194–196, in Verr. V, 3, Font. 38, pro Flacco 98, Brut. 222, de off. II, 50, Quinct. inst. II, 15, 7.

196) quovis modo Livius ordinem iustum non retinuit, sed, ut narrationem de Cæpionis exitu, ita eam de Metelli exilio ad finem perduxit, priusquam novam materiam aggrederetur. Nihil igitur impedit, ne narratio libri LXIX etiam annum 98 amplexa sit.

Sex. Titius denique trib. pl. anno 99[1]) legem agrariam seditiose tulit[2]) obstantibus collegis, auguribusque obnuntiantibus.[3]) Itaque anno 98 (?) reus factus est (fortasse lege Appuleia cf. pg. 64); quo in iudicio Antonius, qui ei acerrime restiterat (de orat. II, 265), testis erat: de orat. II, 48: *explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno pl. pro re publica restitissem, quæque ab eo contra rem publicam facta arbitrarer, exposui.* Inde apparet, re vera non, quod imaginem Saturnini domi haberet (pro Rab. 24), sed quod in universum ut Saturninus in re publica versatus esset (cf. pro Rab: *suam significavit imitandæ improbitatis voluntatem*), eum accusatum esse. Accedente crimine imaginis equites[4]) eum damnaverunt et in exilium miserunt (Cic.: *non retinendum in civitate*). Leges eius Liviarum exempla (pg. 79,1) aut iam antea aut certe post damnationem abrogatæ sunt (Mommsen St.-R. III, 367).

Quæ omnia ad Saturnini tribunatum propterea pertinent, quod equitum in populares odium atque frequentes tribunorum seditiosorum causæ tamquam imago gravioris anni 100 seditionis sunt.

---

[1]) De orat. II, 48, Obseq. 46, Val. Max. VIII, 1 damn. 3, Ziegler l. l. pg. 15.

[2]) cf. Cic. Brut. 225: *consecutus Saturninum et Glauciam „seditiosus“ trib. pl.;* de leg. II, 14 leges Titiæ et Appuleiæ vituperantur.

[3]) cf. Cic. de leg. II, 31; Wissowa, Rel. und Kultus d. Röm. pg. 458. Ab Obsequente haruspices afferuntur, fortasse recte, quoniam prodigia ab auguribus nuntiata explicabant et, quomodo placarentur, significabant (Wissowa l. l. pg. 471 sq.). Haruspices igitur „de lege quæ ferebatur supersedendum esse“ pronuntiaverunt.

[4]) Ita Cic. pro Rab. 24; Valeri *„contio“* aut falso a Deciani causa (cf. Cicero) translata aut, ut Lengle l. l. pg. 52 conatur, explicanda est.

IV. RES GESTÆ, QUAS COMMEMORAVIMUS, BREVITER NARRANTUR.

Anno 105, mense Novembri aut Decembri, Q. Servilius Cæpio, quod eius culpa exercitus Romanus apud Arausionem a Cimbris deletus sit, a Norbano tribuno pl. reus citatur. Atque quamquam proconsul in defensione ‚fortunam' culpat tribunique pl. Didius et Cotta intercedunt, tam tumultuose Norbanus causam peragit, ut pulsis e comitiis Didio et Cotta, M. Aemilio principe senatus lapide percusso, Cæpio damnetur imperiumque ei abrogetur (pg. 67).

Idem Cæpio lege Cassia anno 104 lata, qua ei, quibus imperium abrogatum sit, senatu moventur, e senatu eicitur (pg. 67). Eodem (?) anno (pg. 56) Saturninus quæstor Ostiensis in annonæ caritate, quod male rem gesserit, Romam revocatur atque cura frumentaria M. Aemilio Scauro committitur. Saturninus autem dolore et ira incitatus ad populares transitum facit (pg. 23) statimque tribunus plebis designatur.

Inito igitur magistratu cum Mario III cos. (anno 103), nobilitati iamdudum inimicissimo fœdus iacit eiusque petitionem quartam summo studio adiuvat (pg. 57.60). Atque ad conciliandam militum Marianorum gratiam legem rogat, ut veteranis exercitus Africani in Africa prope Thibaris et Uci maius centena iugera agri assignentur (pg. 76) eamque repulsa per vim M. Bæbi tribuni pl. intercessione perfert. Eodem auctore (? pg. 77) in Corsicam insulam a Mario colonia deducitur. Norbanum imitatus Appuleius Cn. Mallium consularem accusat, qui iudicium veritus ante causam peractam (pg. 68) in exilium proficiscitur.

Anno 102 censores Q. Metellus Numidicus et C. Metellus Caprarius creantur (pg. 55). Mense Octobri eiusdem anni, dum Catulus in Gallia cisalpina Cimbros exspectat, Marius apud Aquas Sextias Teutonum copias fundit (pg. 54). Exeunte mense Novembri Marius nuntium, se consulem esse designatum, accipit; Catulus, qui comitiorum habendorum causa Romæ adfuit, ad exercitum revertitur. Tum demum Cimbri, postquam prima nive Alpes superaverunt, ineunte Decembri in superiorem Athesis vallem perveniunt, (pg. 53) et initio anni 101 oppugnatis captisque castris, quæ Catulus trans Athesim habet, ipsum proconsulem sese recipere cogunt (pg. 54).

Quo nuntio allato Marius Romam proficiscitur et statim, quid faciendum sit, cum patribus communicato Catulo auxilium fert. Mari copiæ e Gallia transalpina arcessitæ cum Catuli exercitu iunguntur (mense Aprili ? pg. 54). Dum ea geruntur, Romæ tumultus oritur, quia Metellus Numidicus censor in legendo senatu Saturninum notat et L. Equitium, qui instigante Appuleio Ti. Gracchi filium se esse simulat, in censum recipere non vult (pg. 55. 61). Quamquam enim Sempronia Scipionis uxor ad testimonium dicendum producta Equitium mendacem publice declarat, tamen Saturninus eum non deserit, sed armata multitudine Metellum in Capitolio obsidet; qui absentibus consulibus ab equitibus Romanis liberatur. At cum nobiles Saturninum, qui a legatis regis Mithridatis tum Romæ morantibus senatum corrumpi contendit, reum facerent, quod ius legationis violasset, populi studio tribunus absolvitur (pg. 56). Lustrum a censoribus conditur.

Apud Vercallas a. d. III Kal. Sext. a Mario et Catulo Cimbri devincuntur, cuius victoriæ præsagium in ludis illo die celebratis exstitisse creditur (pg. 51, 1). Ante triumphum habitum altercatio inter imperatores denuo exardescit: itaque cum, ut dis gratia redderetur, Marius templum Honoris et Virtutis atque monumenta tropæorum in Capitolio voveret, Catulus in Palatio templum Fortunæ Huiusce Diei restituit porticumque in area Flacci olim devota exstruit (pg. 51, 1). Appropinquantibus comitiis tri-

buniciis L. Equitius, qui, quamquam in censum non receptus est, tamen tribunatum petit, a Mario in custodiam abducitur; unde liberatur quidem orta populi seditione, sed a Saturnino amicitia cum Mario coniuncto desertus præteritur (pg. 61). Ipse contra Saturninus iterum tribunus designatur non sine vi, cum Nunnium competitorem populares maledictis aggressum multitudo in domum privatam compelleret occideretque (pg. 62). Prætura Glauciæ Saturnini sodali contingit, consulatus alter Mario, tum summa civium gratia vigenti, alter, quamvis magnopere nobiles niterentur, ut Metellus collega ei daretur (pg. 60), L. Valerio Flacco, nota imbecillitate homini (pg. 20). Qua victoria elatus Saturninus, postquam tribunatum iniit (a. d. IV. Id. Dec. a. 101), novas leges promulgat: primam de Eporedia (et Dertona? pg. 77) colonia in agrum Gallicum deducenda. Acerrime autem resistentibus nobilibus prisca oracula, quibus colonia condi iussa est, a popularibus depromuntur (pg. 77); ipsis comitiis tribuni, qui intercedunt, vi e medio pelluntur, utque lex perferri possit, pluviæ factæ obnuntatio contra religionem spernitur.

Legi additur sanctio, (pg. 75) ut (intra quinque dies) magistratus pro rostris ante ædem Castorum, (intra decem dies? pg. 82.2) senatores apud quæstores ad ærarium se legi esse obtemperaturos iureiurando promittere debeant; atque ut ei, qui iusiurandum recusaverint, si magistratus sint, HS $\overline{\text{D}}$ multentur, si senatores sint, senatu moveantur. Atque id recusandum esse, quod per vim et contra auspicia lex rogata sit, (pg. 82) in senatu de ea re habito Metellus censet, cum ceteros senatores exemplum suum secuturos esse speraret.

Sed diebus constitutis et magistratus, in primis consules, et senatores iurant, legitime clausulam, se legi obtemperaturos esse, si iusta lex sit, adiungentes (pg. 81). Solus Metellus, ne constantiæ gloriam perdat, iusiurandum recusat (pg. 23). Proximo igitur senatu, ut delictum secundum legem puniatur, Saturninus Metellum coercitione eo movere conatur; sed tribuni intercedunt. Itaque accusationem instituit, (pg. 82) cuius iudicium Metellus, a senatu populoque languide defensus, exspec-

tare non audet. Repudiatis amicorum consiliis, qui vi agendum esse censent, in exilium voluntarium proficiscitur (pg. 23). Saturnino rogante legitime aqua et igni ei interdicitur, quod scitum consules renuntiant.

Dcinde (pg. 76) Q. Servilium Cæpionem, quod auri Tolosani partem clam seposuerit, Appuleius in quæstionem extraordinariam postulat (pg. 72). Reus, qui frustra per servum matrem deam sacrificio sibi conciliat, (pg. 76) una cum multis aliis peculatus convincitur atque aut, quod multam pendere non potest, aut quoad eam pependerit, in carcerem conicitur. Unde L. Rhegini tribuni plebis intercessione liberatus in exilium migrat. Post discessum bona eius publicantur (pg. 73). Quo facto legem de coloniis civium Italicorumque in Siciliam, Macedoniam Achaiam deducendis Saturninus perfert (pg. 75): cui additur, ut ad legis Semproniæ exemplum aurum Cæpionis ad ornandos pecunia colonos impendatur (pg. 78).

Postea autem, cum legem frumentariam de semissibus Saturninus promulgaret, Q. Servilius Cæpio quæstor patris causa in tribunum odio flagrans ad senatum refert, ærarium tantam largitionem non pati; itaque patres decernunt, si eam legem Saturninus ferat, contra rem publicam eum facere videri. Nihilominus Saturninus collegis intercedentibus suffragia colligit. Tum vero Cæpio optimates incitat, ut impetum faciant, atque vi rogationem impedit (pg. 64). Propter quod crimen, scita in eum lege Appuleia de minuta maiestate (cf. pg. 66), Cæpio aut eodem, aut eo, qui sequitur, anno frustra accusatur.

Comitiis tribuniciis, quæ tranquille habentur (pg. 84), præter Saturninum Equitius, qui sub suo nomine petit (pg. 55,2), Sextus Titius (pg. 99) populares, M. Porcius M. f. M. n. Cato, Q. Pompeius Q. f. Rufus designantur (pg. 97,2) Consulatum M. Antonius, A. Postumius, P. Servilius Glaucia, C. Memmius appetunt. Equibus Glauciæ petitio non accipitur, quod quadrennium inter præturam et consulatum lege Villia annali constitutum neglexerit (pg. 85). Primis igitur comitiis Antonius creatur; C. Memmium virum acrem et strenuum, cuius consulatum quam maxime

Saturninus timet, orta subito seditione P. Mettius quidam arrepto ligno in ipso campo interficit (pg. 84). Quo perturbati patres, ne in totum senatum populi furor erumperet, veriti Marium adeunt, ut plebis iram compescat. Neque auxilium Marius denegat sed oratione habita seditionem reprimit (pg. 86). Proximo autem comitiorum die populus, qui cædem non probat, A. Albinum, virum nobilem, consulem designat (pg. 85). Præterea Saturnini potentiam minuit, quod ad senatum Marius magis magisque inclinat. Qui cum ab optimatibus popularibusque, ut sibi faveret, diu certatim invitatus esset, ad optimates plane transit, postquam equites a Saturnino defecerunt (pg. 86). Itaque ne paulatim opprimatur, audaciorem in dies Saturninus se gerit: contiones turbulentissimæ habentur; crescit rumor, eum a satellitibus regem appellari (pg. 87). Denique optimatium precibus commotus, maxime adhortatione Scauri, ne consules impedimento sint, monentis (pg. 19), Marius promittit, sese, si patres senatus consultum ultimum decreverint, ei obtemperaturum esse. Mario igitur referente consulibus C. Mario L. Valerio Flacco committitur, ut rem publicam contra seditiosos defendant (pg. 13). Vocato deinceps ad arma populo armisque e templo Sancus atque armamentariis allatis senatores omnes, in quorum numero ipse Scaurus et Scævola augur senes sunt, in comitium conveniunt (pg. 18). Dum Valerius collem Quirinalem, Antonius pro consule Janiculum cum copiis obtinent, Marius, ne ex agris rustici Saturnino auxilium ferant, portis communitis seditiosos in urbe includit. Qui cum vocatis ad libertatem servis bellum moverint, commissa in foro pugna devicti Capitolium occupant (pg. 86). Ibi a Mario obsidentur. Incisis autem aquarum Marciæ et Tepulæ (pg. 89,1) fistulis repulsaque, quam per clivum Capitolinum facere conati sunt, eruptione Saturninus sociique Sauffei quæstoris consilium, ut templum incendant, non probantes cum Mario tamquam consule colloquuntur (pg. 93). Atque quamquam Saturninus antea, ut a militibus consul deseratur, magna voce totius seditionis auctorem eum declaravit, Marius, sive factorum eum pudet, sive studet, ut quam celerrime tumul-

tum sedet, fidem publicam dat obsessis nullo senatus consulto facto (pg. 11). Conceditur autem fides ea conditione, ut seditiosi de Capitolio (sine armis?) degrediantur (pg. 90). Primum igitur Saturninus et Glaucia, deinde etiam Sauffeius quæstor clivum descendunt (a. d. IV Id. Dec. pg. 57). Qui ut eo accedunt, ubi in fori aream clivus se demittit, multitudo armata tanta mole in eos irruit, ut consul eam arcere non posset. Ne igitur fides violetur, Saturnino, Sauffeio, Labieno aliisque, opportunitate usus, facultatem in curiam fugiendi offert, ut locus sacer hostes deterreat (pg. 91). Sed tamen effractis foribus equites, populus, servi irrumpunt omnesque occidunt (pg. 94). Glaucia autem a C. Claudio, in cuius domum sese abdidit, trucidatur (pg. 18), Dolabella Giganiusque, qui fidei datæ diffisi per centum gradus evadere (pg. 92,4) conati sunt, in foro holitorio interficiuntur. Etiam Equitius occiditur. Saturnini caput abscisum Rabirius eques circumfert, Crotonis servo autem tamquam interfectori senatus libertatem dat (pg. 94). Domus Appulei solo æquatur, lex altera de coloniis abrogatur.

Anno 99: Victoriam ut exerceant, rogantibus Catone Pompeioque tribunis optimates Metellum revocare conantur. (pg. 97.) Cum autem consules cunctentur, Mario atque Furio contingit, ut rogationem impediant. At idem Furius, transitu ad optimates facto, legem perfert, ut seditiosorum civium bona publicarentur (pg. 94). Nondum tamen popularium causa victa iacet; resistente enim Antonio per vim et contra auspicia a Sexto Titio lex agraria datur (pg. 99) et M'. Aquillius pro consule, postquam ovans urbem intravit, a L. Fufio repetundarum arcessitur (pg. 98).

Anno 98: Atque propter legem in Saturninum latam a Deciano tribuno pl. accusatus P. Furius, quem nobilitas defendit, absolvitur (pg. 96). Restituto vero lege Calidia in patriam Metello Marioque ad regem Mithradatem profecto, a C. Canuleio, quod Metelli reditui restiterit, in ius vocatur et a populo, qui magnopere Metello favet, in ipso iudicio laceratur (pg. 98). Sextum Titium deinde tribunum pl., quod Saturnini, cuius imaginem

domi habet, amicus atque æmulus sit, equites Romani damnant legesque eius senatus abrogat (pg. 99).

Anno 97: Eiusdem Saturnini amicitia Deciano crimini datur, qui propter tribunatum seditiose actum in exilium mittitur.

Anno 96 (?): Tot victoriis elati nobiles C. Norbanum maiestatis accusant; cum autem Antonius patronus vetus in Cæpionem odium resuscitare possit, equites reum absolvunt (pg. 63).

Anno 95: M. Crassus orator Q. Cæpionem iuniorem defendit (63, 2 : 66).

Anno 92: Profecto in exilium Rutilio Rufo M. Aemilius Scaurus a Q. Cæpione repetundarum reus factus ipsum accusatorem prius causam dicere cogit (pg. 65,6).

Anno 91: Q. Cæpio prætor acerrime M. Livio Druso trib. pl. resistit (pg. 65).

Anno 90: Scaurus lege Varia primum ab ipso Vario, deinde, postquam sola auctoritate, qua apud populum valet, causam vicit, iterum a Cæpione arcessitur (pg. 65, 6).

Cæpio pro prætore in bello Marsico occiditur (65, 3).